JOANNIS CAII BRITANNI

De Canibus Britannicis, liber unus;

De Rariorum Animalium & Stirpium hiſtoria, liber unus;

De Libris propriis, liber unus;

De Pronunciatione Græcæ & Latinæ Linguæ, cum ſcriptione nova, libellus;

Ad optimorum Exemplarium fidem recogniti

à S. JEBB, M. D.

LONDINI:
Impenſis CAR. DAVIS in Vico vulgò dicto Pater-noſter Row. M, DCC, XXIX.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

3 l e

B L

ERUDITISSIMO VIRO, Dno.

Dno. *RICHARDO MEAD,*

ARCHIATRO REGIO

S. P. D.

SAM. JEBB.

IN manus tibi trado, Vir Præclariſſime, rariora quædam opuſcula à Joanne Caio, Medicorum olim in Britannia principe, conſcripta, nec indigna ſane, quæ ſub tui nominis præſidio denuo

nuo donentur luce. Prodierunt primùm Londini annis 1570. & 1574. per Gul. Sereſium & Joh. Daium typographos excuſa; adeò pauca tamen hodie ſuperſunt exemplaria, ut in Bibliothecis curioſiorum ſæpe requirantur fruſtra.

Priores duo tractatus ad Conradum Geſnerum dati eo animo fuerunt à Jo. Caio exarati, ut amici votis ſatisfaceret, qui dum ſummam adhiberet diligentiam, ut in unum opus redigeret quicquid ad Animalium Hiſtoriam ſpectaret, à Caio per litteras petierat, ut quæcunque ad rem ſuam facientia apud Anglos inveniret, ſecum communicaret. Tractatum de Canibus rudem adhuc & imperfectum, *pinguiori*,

guiori, [a] ut ipſe ait, *Minervâ & tumultuariè* ſcriptum ad Geſnerum primò tranſmiſit. Non ita tamen Geſnero viſus eſt imperfectus Caii libellus, quin potiùs propter ſummam, quæ in eo relucebat, eruditionem digniſſimum eſſe exiſtimavit, qui quamprimùm in publicum prodiret, & propterea ſe brevi editurum fore promiſit. *Sequuntur*, [b] inquit, *alia Canum Britannicorum genera, quorum eicones ad vivum factas Jo. Caius Anglus miſit, ut etiam Getuli Canis. Idem Caius tractatum de differentiis & moribus Canum Anglicorum pererudituum in noſtri gratiam conſcripſit; quem primo quoque otio unà*

[a] De libris ſuis, *p.* 191.
[b] Icon. Animalium Quadruped. *&c. p.* 27.

cum aliis quibuſdam in lucem dabimus. Diſplicuit Caio tamen Geſneri conſilium, & reſcripſit ſtatim ſe nolle libellum ſuum ſub prelum adhuc venire, donec limatiorem eum reddidiſſet & commodiorem. At dum huic operæ ſedulus incubuit, Geſnerum eripuit ſæviſſima illa peſtis, quæ tam dira invexit mala Tigurinis anno 1565. Amico verò, cui deſtinâſſet, orbatus licet, opus ſuum interire noluit Caius, atque auctum jam & emendatum emiſit ipſe anno, quem dixi, 1570.

Quàm carus autem fuerit Caius Geſnero, exinde licet colligere, quòd in Præfatione ſua ad Icones Animalium Quadrupedum eum nominet *Virum doctrinâ, judicio,*

fide, & diligentiâ ſummum; & in Epiſtolâ ad Eliſabetham Angliæ reginam, quam eidem Operi præfixit, inter præſtantiſſimos quoſque, quos Anglia ſibi ſuppeditâſſet amicos & adjutores, Jo. Caium *medicum longè doctiſſimum* ſingulari præconio condecoret. Quali autem Geſnerum amore complecteretur Caius, ex mœrore, quo morientem proſequitur, indicatum eſt; [c] qui in recordatione ſuæ amicitiæ in talia ſe effudit lamenta, ut vel funebres Veterum laudationes dulcedine planctuum ſuperâſſe dicatur.

Qui proximè inſequitur de rariorum Animalium atque Stirpium hiſtoriâ libellus, in partes olim di-

[c] De libris ſuis, *p.* 181.

viſus, per intervalla temporum ad eundem Geſnerum miſſas, [d] mutilus habetur in libris ejus de Animalibus, & *pro uſu ſuo detruncatus*. Adjunctæ autem ibi reperiuntur Animalium figuræ, ad quas lectorem retulit Caius, ſi nudis deſcriptionibus, quæ in hoc opuſculo exhibentur, minùs eſſe contentus velit.

His adjunximus tractatum, quem de libris ſuis in Hatcheri gratiam Caius compoſuit. Continet is autem vitæ ſuæ & ſtudiorum ſuorum rationem; unde ediſcimus, quanta induſtriâ & quàm improbo labore ipſe tandem medicus evaſerit. Non ſibi ſatis habuit Caius recentius ali-

[d] Ibid. & De rarior. Animal. &c. hiſtor. p. 40.

quod

quod Medicinæ compendium evolvere, aut pervolitando Pharmacopolarum officinas præſcribendi formulas coacervare; ſed cùm intimos naturæ receſſus ſibi penetrandos eſſe cenſuerit, diſſectionibus humani corporis ad annos pene viginti incubuit, & dein ad Veterum Medicorum ſcripta perdiſcenda diligentiùs ſe contulit, experientiâ edoctus, quòd is, qui juxta eorum præcepta medicinam faceret, naturam demùm ſequeretur ducem. Hæ fuerunt artes, quæ Caium ad honorum culmen evexerunt; hæ fuerunt artes, quæ tibi, Vir Præſtantiſſime, ad gloriam præmonſtrârunt viam.

Galenum

Galenum præ aliis omnibus æſtimâſſe Caium, dum [c] *nec orbem à morte ejus habuiſſe, nec in medicinâ in futurum habiturum eſſe* parem ſcribat, facile eſt conjicere. Atque hinc evenit forſan, quòd plus laboris in vertendis aut illuſtrandis Galeni operibus, quàm in cæteris Græcorum libris explicandis, conſumpſerit. At quo fato contigerit, neſcio, pauca admodum Galeni extant hodie ex Caii caſtigatione.

Si Caii exemplum ſecuti recentiores ad legenda Veterum monumenta applicuiſſent animum, quanto majores in medendi arte progreſſus fecerint? Unum illud Galeni o-

[c] De libris ſuis, *p.* 152.

pus

pus de adminiſtrationibus Anatomicis, quod commentariis auctum dedit Caius, multa ſuppeditat & Medicis & Chirurgis cognitu neceſſaria, quæ alibi vix reperiantur; multa, quæ tanquam ſua venditârunt poſteri, nec ſine magnâ ſibi arrogatâ adinventionis gloriâ. Exemplo rem illuſtrabimus. Salius Diverſus inflammationem atque etiam abſceſſum oboriri poſſe [f] obſervat & in Mediaſtino & in Pericardio, à nemine autem præterquam à ſe fuiſſe obſervatum tradit. Eadem fere legere eſt [g] apud Gul. Rondeletium, qui Salium Diverſum ætate paululum præceſſerat. Hunc morbum tamen ab Avenzoare Arabe priùs

[f] Curat. Morb. particular. *p.* 225.
[g] De dignoſcend. Morb. *cap.* x.

eſſe

esse descriptum [h] notat Vir Doctissimus Jo. Freind, & negligentiæ incusat Rondeletium & Salium, quòd Medicinalium Avenzoaris Observationum ignari se reperisse dicerent, quæ apud Arabem Scriptorem prius extarent. At si pari diligentiâ Galeni ac Avenzoaris scripta legissent, non Avenzoari, sed Galeno, primam hujusce vitii mentionem tribuisset Vir Eruditissimus, qui in Cap. 13. Lib. 7. laudati operis historiam pueri a se persanati dedit, [i] cujus involucrum cordis computruerat. Sed ad Caium revertamur; qui, si fata sivissent, non solum hoc opus de Administrationibus Anatomicis, sed & om-

[h] Hist. of Physick, Vol. 2. *p.* 82. *seqq.*

[i] ἐπεσήπλη γὰρ ὁ περικάρδιος &c. Galen. de Adm. Anatom. lib. 7. cap. 13.

nia

nia Galeni opera, ſuâ manu caſtigata, Græcè edere conſtituiſſet.

Anno 1545. per Italiam [k] peregrinatus eſt, celebriores variarum urbium Bibliothecas perluſtrans, & ex MSS. Italiæ & Britanniæ antiquis apparatum ſibi fecit in futuram hanc Galeni operum caſtigationem. Et cùm inter peregrinandum obſervâſſet doctiſſimos omnes, quos inviſit, viros veteri Græcæ linguæ pronunciatione & ab illâ penitus diversâ, quam nuper excogitâſſet Vir celebris Jo. Checus, diligenter eſſe uſos, libellum compoſuit, in quo ab uſu novæ iſtius ac nuper natæ pronunciationis dehortatur maximè. At cùm hanc rem ex

[k] De libris ſuis, *p.* 194. *ſeqq.*

occaſione peregrinationis ſuæ in tractatu de libris propriis perſequi decreviſſet, à propoſito tandem deflexit, quòd libros ſuos enumerare ſolum, non integros aſcribere, ibi inſtituiſſet. Propter raram autem, quæ in eo libello florere deprehenditur, doctrinam digniſſimum eſſe cenſuimus, qui ad calcem priùs memoratorum adnecteretur, licet olim ſeorſim excuſus in ædibus Jo. Daii, anno 1574.

Hæc habui, Vir Eruditiſſime, quæ de Caio dicerem & Caii opuſculis. Optandum ſane foret, ut exoriretur aliquis, monumentorum ſupellectile ſatis inſtructus, qui ad ſcribendam Caii vitam ſeriò applicaret animum; ſic enim fieret,

fieret, ut virtutes, quibus inclaruerit, futuris ſeculis in exemplum proponerentur. Hanc ſpartam ſibi olim exornandam ſuſcepiſſe eximium Virum, Car. Goodall, ex litteris conſtat, quas tuo rogatu mecum communicavit Vir Præclariſſimus D^s. H. Sloane Baronettus, digniſſimus Collegii Medicorum Londinenſis Præſes; at prius, quam deſtinatum opus ad finem perducere potuiſſet, fato conceſſit. Si quid verò ego fecerim, quod tibi gratum eſſe intellexero, mihi ſatis feciſſe videbor; cùm id mihi ſemper laudi ducam eſſe maximæ, placuiſſe tibi.

JO-

JOANNIS CAII BRITANNI

DE

Canibus Britannicis libellus.

Ad Geſnerum.

SCRIPSIMUS ad te (chariſſime Geſnere) ſuperioribus annis variam hiſtoriam de variis quadrupedum, avium, atque piſcium formis, variis herbarum atque fruticum ſpeciebus & figuris. Scripſimus & de canibus quædam ad te ſeorſum, quæ in libro tuo de iconibus animalium ordine ſecundo manſuetorum quadrupedum, ubi de Canibus Scoticis ſcribis, & in fine epiſtolæ tuæ ad Gulielmum Turnerum

nerum de libris a te editis, inter libros nondum excuſos, te editurum polliceris. Sed quia de Canibus noſtris quædam in eo libello mihi videbantur deſiderari, editionem prohibui, & alium promiſi. Quamobrem, ut promiſſis meis ſtarem, & expectationi tuæ ſatisfacerem, homini omnis cognitionis cupido, univerſitatem generis, differentiam atque uſum, mores & ingenium, veluti methodo quadam conabor explicare. Diſpertiar in tres ſpecies, Generoſam, Ruſticam, & Degenerem; ſic ut de illa primò, de hac poſtremò, de ruſtica, medio loco tibi dicam. Omnes Britannicos vocabo; tum quòd una Inſula Britannia, ut Anglicos omnes, ſic quoque Scoticos omnes complectatur: tum quòd venatibus magis indulgemus, quia voluptati ex feris & venatione, propter animalium copiam, atque hominum otium, magis Britanni ſumus dediti, quàm eorum animalium indigi & negotioſi Scoti. Ergo cum omnis ratio generoſæ venationis, vel in perſequendis feris, vel in capiendis avibus finiatur, canum, quibus hæc aguntur,

De generoſis venaticis.

tur, duo genera ſunt: alterum quod feras inveſtiget, alterum quod aves perſequatur. Utraque Latinis uno & communi nomine dici poſſunt venatica. Sed Anglis cum aliud eſſe videatur feras ſectari, aliud aves capere, ut primum venationem, ſecundum aucupium nominant, ita canum nomina volunt eſſe diverſa: ut qui feras laceſſunt, venatici; qui aves, aucupatorii dicerentur. Venaticos rurſum divido in quinque genera. Aut enim odoratu, aut viſu fatigant feras, aut pernicitate vincunt, aut odoratu & pernicitate ſuperant, aut dolo capiunt.

Qui odoratu fatigat, & prompta alacritate in venando utitur, & incredibili ad inveſtigandum ſagacitate narium valet: a qua re nos ſagacem hunc appellamus, quem Græci ab inveſtigando ἰχνέυτην, à nare ῥινηλάτην dicunt. Huic labra propenſa ſunt, & aures ad os uſque pendulæ, corporiſque media magnitudo. Hunc Leverarium vocitabimus, ut univerſum genus in certas ſpecies atque nomina reducamus: cum alioqui uſus aut officii nomine,

Sagax.

Leverarius.

mine, in unitatem ſpeciei adigi nullo modo queant. Nam alius leporis, alius vulpis, alius cervi, alius platycerotis, alius taxi, alius lutræ, alius muſtelæ, alius cuniculi (quem tamen non venamur niſi caſſe & viverra) tantum odore gaudet: & in ſuo quiſque genere & deſiderio egregius eſt. Sunt ex his qui duos, ut vulpem atque leporem, variatis vicibus ſequi ſtudent, ſed non ea felicitate, qua id quod natura ſequi docuit: errant enim ſæpius.

Terrarius. Sunt qui vulpem atque taxum ſolum, quos Terrarios vocamus; quod ſubeant terræ cuniculos, more viverrarum in venatu cuniculorum, & ita terrent mordentque vulpem atque taxum, ut vel in terra morſu lacerent, vel è ſpecu in fugam aut caſſes cuniculorum oſtiis inductas compellant. Sed hi in ſagacium genere minimi ſunt.

Sanguinarius. Qui inſequuntur, majores: propenſo & hi labro atque aure, nec vivas tantum uti memorati omnes, ſed & mortuas quoque conſperſi ſanguinis odore perſequuntur. Sive enim vivæ fauciantur feræ, atque è manibus venatorum elabuntur, ſive mortuæ

tuæ ex vivario ſublatæ ſunt (ſed profuſione ſanguinis utræque) iſti canes odore facilè perſentiſcunt, & ſubſequuntur. Eam ob cauſam ex argumento ſanguinarii appellantur. Cum tamen fieri ſolet ut furum aſtutia nullo conſperſo ſanguine abripiatur fera, etiam ſicca hominis veſtigia per extentiſſima ſpatia nullo errore ſequi nôrunt, in quantalibet multitudine ſecernere, per abditiſſima & denſiſſima loca appetere, & ſi flumina tranent etiam perſequi, cumque ad ulteriorem ripam perventum eſt, circuitu quodam qua fugitum eſt inveſtigare, ſi primo ſtatim odore in veſtigium furis non inciderint. Sic enim arte inveniunt, quod fortuna nequeunt, ut rectè videatur ab Æliano ſcriptum lib. 6. cap. 59. de animalibus, τὸ ἐνθυμητικὸν καὶ διαλεκτικὸν, καὶ μέντοι καὶ τὸ αἱρετὸν, hoc eſt, conſiderationem, ratiocinationem, atque etiam participationem ſeu arbitrium canibus hiſce venaticis ineſſe; nec ante ceſſant perſequi, quàm ſunt fures comprehenſi. Eos luce in tenebris habent heri, nocte producunt, quo alacriores in perſequendo ſint aſſueti tenebris, quibus prædones delectantur

maximè. Iidem, cum fures insequuntur, non ea donantur libertate qua cum feras, nisi in magna celeritate fugientium furum, sed loro retenti herum ducunt qua velit ille celeritate, sive pedes sit, sive eques. In confiniis Angliæ atque Scotiæ propter frequentia pecorum & jumentorum spolia, multus usus hujus generis canum est, & principio discit pecudem & armentum persequi, postea furem relicto armento. In hoc genere nullus est aquaticus naturaliter, nisi eos ita nominare placeat, qui Lutram insequuntur, qui subinde ripas, subinde aquas frequentant. Non recusant tamen omnes, aviditate prædæ tranantis flumina, etiam aquis se committere. Sed hoc desiderii potius est, quàm naturæ. Quod autem ex his aliquas Brachas nostri, Rachas Scoti sua lingua nominant, in causa sexus est, non genus. Sic enim canes fœminas in venatico genere vocare solent nostri. Ad postremum, in natura sagacium est, ut alii pervestigando taceant ante excitatam feram, alii statim ad primum odorem voce prodant animal, etsi remotum adhuc, & in cubili; & quo juniores, eo petulantioris

oris

oris & mendacioris ſunt. Ætas enim & venandi aſſiduitas experientiam in his facit & certitudinem, ut in aliis omnibus, maximè, cum norint obtemperare domino vel inhibenti vel animanti. Quod viſu laceſſit, nare nihil agit, ſed oculo; oculo vulpem leporemque perſequitur, oculo ſeligit medio de grege feram, & eam non niſi bene ſaginatam & opimam oculo inſequitur, oculo perditam requirit, oculo, ſi quando in gregem redeat, ſecernit, cæteris relictis omnibus, ſecretamque curſu denuo fatigat ad mortem. Agaſæum noſtri abs re, quòd intento ſit in feram oculo, vocant. Uſus ejus eſt, in ſeptentrionalibus Angliæ partibus magis quam meridionalibus; locis planis & campeſtribus, quàm dumoſis & ſylveſtribus; equitibus magis quàm peditibus, quo ad curſum equos incitent (quibus delectantur magis quàm ipſa præda) aſſueſcantque ſepes foſſaſque inoffensè & intrepidè tranſilire & aufugere, quò inſeſſores per neceſſitates & pericula ſalutem fuga ſibi quærant, aut hoſtem inſequendo cum velint cædant. *Agaſæus.*

At ſi quando canis aberraverit, dato ſigno quàm mox accurrit, & feram de integro ſubſequens, clara voce, curſuque celeri ut ante laceſſit. Quod pernicitate vincit, leporarius dicitur, quòd præcipua ejus cura, præcipuuſque uſus eſt in perſequendo lepore. Quanquam & in capiendo platycerote, cervo, dorcade, vulpe, & hoc genus aliis feris, & viribus & memorata velocitate valent: ſed plus minus pro ſuo quiſque deſiderio, & corporis firmitudine aut exilitate. Eſt enim ſtrigoſum genus: in quo alii majores ſunt, alii minores: alii pilo ſeſſili, alii hirto. Majores majoribus, minores minoribus feris deſtinamus. Cujus naturam in venatione, magnam; in hoc, miram deprehendi: quòd (referente Joanne Froiſarto hiſtorico lib. hiſt. ſuæ 4.) leporarius Richardi ſecundi Anglorum regis, qui ante neminem præter regem agnoverat, venientem Henricum Lancaſtriæ ducem ad caſtellum Flinti ut Richardum comprehenderet, relicto Richardo, Henricum ſolitis in Richardum favoribus exceperit; quaſi adverſitates

Leporarius.

Richardi

Richardi futuras intellexerat & præſentiſcerat. Id quod Richardus probe animadvertit, atque ut præſagium futuri interitus verbis non diſſimulavit. Quod ſagacitate ſimul & pernicitate poteſt, & genere, & compoſitione corporis medium eſt inter ſagacem illum & leporarium, & à levitate appellatur levinarius, à loro (quo ducitur) lorarius. Hic propter velocitatem & gravius feram urget, & citius capit. Quod dolo agit, vertagum noſtri dicunt, quòd ſe, dum prædatur, vertat, & circumacto corpore, impetu quodam in ipſo ſpecus oſtio feram opprimit & intercipit. Is hoc utitur aſtu. Cum in vivarium cuniculorum venit, eos non laceſſit curſu, non latratu terret, nec ullas inimicitias oſtentat, ſed velut amicus aliud agens, taciturna ſolertia prætergreditur, obſervatis diligenter eorum cuniculis. Eò cum pervenerit, ita ſe humi componit, ut & adverſum ventum ſemper habeat, & cuniculum lateat. Sic enim ille revertentis aut exeuntis cuniculi odorem facilè ſentit, & ſuus cuniculo omnino tollitur, & proſpectu

Levinarius ſeu lorarius.

Vertagus.

proſpectu fera fallitur. Ad hunc modum compoſitus canis, & proſtratus, aut exeuntem cuniculum & imprudentem in ipſo ſpecus ingreſſu verſutè opprimit, aut revertentem excipit, atque ad latentem herum ore perducit. Minor hic eſt ſagaci illo, ſtrigoſior, & erectiore aure. Corporis figura leporarium ſpurium diceres, ſi major eſſet. Et quamvis eo minor multò ſit, uno tamen die tot poteſt capere, quot juſtum equi onus eſſe poſſunt. Dolus enim illi pro virtute eſt, & corporis agilitas. Huic ſimilis canis furax eſt, qui jubente hero noctu progreditur, & ſine latratu odore adverſo perſequens cuniculos, curſu prehendit quot herus permiſerit, & ad heri ſtationem reportat. Vocant incolæ canem nocturnum, quòd venetur noctu. Sed hæc de iis qui feras inſequuntur.

Canis furax.

Ex generoſis aucupatoriis.

Qui aves, proximum locum habent. Eos Aucupatorios dici ante propoſuimus. Hi ex generoſorum numero etiam ſunt, & duûm generum. Alii enim per ſicca tantum venantur; Alii per aquas tantum aves

aves perſequuntur. Qui per ſicca tantum, aut libero veſtigio & latratu avem inveſtigant & excitant, aut tacito indicio eandem commonſtrant. Primum genus Accipitri ſervit; ſecundum reti. Peculiaria nomina primum genus non habet, niſi ab ave ad quam venandam natura eſt propenſius. Qua de cauſa falconarii hos phaſianarios, hos perdiciarios, vocare ſolent. Vulgus tamen noſtrum communi nomine Hiſpaniolos nominat, quaſi ex Hiſpania productum iſtud genus primo eſſet. Omnes maxima ex parte candidi ſunt: & ſi quas maculas habeant, rubræ ſunt, raræ, & majores. Sunt & ruffi atque nigri, ſed perpauci. Eſt & hodie novum genus ex Gallia advectum (ut novitatis omnes ſumus ſtudioſi) ſed ex toto in albo obfuſcatum maculoſè, quem Gallicanum vocitamus. Secundum genus eſt, quod tacito pede atque ore avem quærit, & nutum juvantis heri ſequitur, vel promovendo ſe, vel reducendo, vel in alterutram partem dextram aut ſiniſtram declinando. Cum avem dico, Perdicem & Coturnicem

Hiſpaniolus.

Index.

Coturnicem intelligo. Cum invenerit, cauto ſilentio, ſuſpenſo veſtigio, & occulto ſpeculatu, humiliando ſe prorepit, & cum propè eſt, procumbit, & pedis indicio locum ſtationis avium prodit: unde canem indicem vocare placuit. Loco commonſtrato, auceps exporrectum rete avi inducit. Quo facto, canis ad conſuetum heri indicium ſeu vocabulum quam mox aſſurgit, & propinquiori præſentia aves perturbat, atque ut inexplicabilius irretiantur, facit. Quod artificium in cane, animali domeſtico, mirum videri non debet, cum & lepus agreſte animal, & ſaltare, & tympanum anterioribus pedibus numero pulſare tympaniſtarum more, & canem dente atque ungue petere, pedibuſque crudeliter cædere, in Anglia viſus eſt omnium admiratione, anno ſalutis noſtræ 1564. Nec eſt vanum iſtud, eoque relatum lubentius, quòd operæ pretium putarem, nihil prætereundum eſſe, in quo naturæ ſpectanda ſit providentia. Qui per aquas aucupatur propenſione naturali accedente mediocri documento, major his eſt,

Lepus tympanum pulſat.

Aquaticus ſeu inquiſitor.

eſt, & promiſſo naturaliter hirtus pilo. Ego tamen ab armis ad poſteriores ſuffragines, caudamque extremam, ad te (Geſnere) detonſum pinxi, ut uſus noſter poſtulat, quo pilis nudus expeditior ſit, & minus per natationes retardetur. Aquaticus à noſtris appellatur, ab aquis quas frequentat ſumpta appellatione. Eo aut aves in aquis aucupamur (& præcipue anates; unde etiam anatarius dicitur, quod id excellenter facit) aut Scorpione occiſas educimus, aut ſpicula ſagittaſve fallente ictu recuperamus, aut amiſſa requirimus: quo nomine & canes inquiſitores eoſdem appellamus. Quanquam Anas & canem & aucupem quoque egregiè ſubinde fallat, tum urinando, tum etiam dolo naturali. Etenim ſi quis hominum, ubi incubant aut excludunt, propinquabit, egreſſæ matres venientibus ſe ſponte offerunt, & ſimulata debilitate vel pedum vel alarum, quaſi ſtatim capi poſſint, egreſſus fingunt tardiores. Hoc mendacio ſollicitant obvios, & eludunt, quoad profecti longius, à nidis avocentur; caventque diligenter revertendo, ne

Anatum fallacia.

ne indicium loci converſatio frequens faciat. Nec anaticularum ſtudium ſegnius ad cavendum. Cum enim viſas ſe perſentiſcunt, ſub ceſpitem confugiunt aut carectum, quorum obtectu tam callidè proteguntur, ut lateant etiam deprehenſæ, niſi fraudem canis odore detegat. Canem piſcatorem (de quo ſcribit Hector Boethus) qui inter ſaxa piſces odore perquirit, nullum planè novi inter noſtros, neque ex relatione aliquando audivi, etſi in ea re perſcrutanda perdiſcendaque diligentior fuerim inter piſcatores & venatores: niſi Lutram piſcem dicas, ut à multis creditur: quo modo & Pupinus avis piſcis eſſe dicitur & habetur. Sed qui perquirit piſcem (ſi quis perquirat) venationiſne cauſa, an famis faciat, more cæterorum canum, qui per inediam cadaverum morticinam carnem appetere ſolent, tum demum ad te ſcribam, cum de ea re certior fiam. Interim id ſcio, Ælianum & Aetium Lutram κύνα ποτάμιον ſolere appellare. Intelligo etiam Lutram hoc habere cum cane commune, quòd per inopiam piſci-

Anaticularum providentia.

Canis piſcator.

Lutra.

Pupinus.

um excurſiones in terram faciat, atque agnos laniet, rurſuſque ad aquam ſatur redeat. Sed inter noſtros canes is non eſt. Phoca etiam inter ſcopulos atque ſaxa prædatur piſcem, ſed in numero canum noſtratium habitus non eſt, etſi canis marinus à noſtris appelletur. Eſt & aliud genus canum generoſorum apud nos, ſed extra horum ordinem, quos Melitæos Callimachus vocat, à Melita inſula in freto Siculo (quæ hodie uſu derivante Malta vulgo dicitur, & chriſtiano milite nobilis exiſtit) unde ortum id genus habuit maximè: atque à Melita Siculi Pachyni, ut author Strabo eſt. Perexiguum id eſt planè, & fœminarum luſibus ac deliciis tantum expetitum, quibus, quo minus eſt, eo gratius eſt, ut ſinu geſtent in cubiculis, & manu in pilentis, genus ſanè ad omnia inutile, niſi quòd ſtomachi dolorem ſedat, applicatum ſæpius, aut in ſinu ægri geſtatum frequentius, caloris moderatione. Quin & tranſire quoque morbos ægritudine eorum intelligitur, plerumque & morte: quaſi malo in eos tranſeunte caloris ſimilitudine. Gene-

Phoca.

Ex generoſis delicatis, Melitæus ſeu fotor.

Generoſorum canum genus jam explicui: Nunc ruſticum adjicio. In eo memorabilia duo tantum genera ſunt: pecuarium ſeu paſtorale, & villaticum ſeu Moloſſum: alterum ad propellendas injurias ferarum, alterum adverſus inſidias hominum utile. Paſtorale noſtrum mediocre eſt, quòd illi cum Lupo, naturali pecori inimico, res non eſt, cum apud nos nullus eſt, beneficio optimi principis Edgari, qui, quò genus univerſum deleretur, Cambris (apud quos in magna copia erant) vectigalis nomine in annos imperavit trecentos lupos. Sunt qui ſcribunt Ludwallum Cambriæ principem pendiſſe annuatim Edgaro regi 3000 luporum tributi nomine, atque ita annis quatuor omnem Cambriam atque adeo omnem Angliam orbaſſe lupis. Regnavit autem Edgarus circiter annum Domini 959. A quo tempore non legimus nativum in Anglia viſum lupum: advectum tamen quæſtus faciundi cauſa ex alienis regionibus, ut ſpectetur tantum, tanquam animal rarum & incognitum, ſæpius vidimus.

Ex ruſticis.

Paſtoralis.

Lupi nulli in Britannia.

Edgarus.

dimus. Sed ad canem paſtoralem. Is ad certam heri jubentis vocem, aut ex pugno concluſo & inflato clariorem ſibilum, errantes oves in eum locum redigit, in quem paſtor maximè deſiderat; ſic ut levi negotio, & immoto ferè pede, paſtor quo velit modo ovibus moderetur, vel ut ſe promoveant, vel gradum ſiſtant, pedem referant, vel in hanc illamve partem ſe inclinent. Etenim non ut in Gallia & Germania, non ut in Syria & Tartaria, ſic in Anglia quoque oves paſtorem ſequuntur, ſed contra, paſtor oves. Quandoque etiam nullo procurrente aut circumeunte cane, ad ſolum ex pugno ſibilum ſeſe congregant palantes oves, metu canis credo, memores unà cum ſibilo prodire quoque & canem ſolere. Id quod in itinere diligenter ſæpius obſervavimus, ad paſtoris ſibilum refrænantes equos, quo videremus rei experimentum. Eodem etiam cane ovem vel mactandum prehendit, vel ſanandum paſtor capit, nulla prorſus læſione.

Villaticus ſeu Catevarius.

Villaticum vaſtum genus eſt & robuſtum, corpore quidem grave & parum velox, ſed aſpectu truculentum, voce terrificum, & quovis Arcadico (qui tamen ex leonibus creditur provenire) potentius atque acrius. Quòd villis fideliter cuſtodiendis deſtinamus, cum metus eſt a furibus, villaticum appellamus. His quoque utile id eſt contra vulpem atque taxum, qui rem pecuariam faciunt. Valet etiam ad ſues agreſtes perſequendos, domeſticos è frugibus aut arvis abigendos, tauroſque capiendos atque retinendos, cum uſus aut venatio poſtulat, ſinguli ſingulos, aut ſummum duo ſingulos, quamvis intractabiles. Eſt enim acerrimum genus & violentum, formidabile etiam homini, quem non reformidat. Neque enim ad arma expaveſcit; quóque acrius fiat, aſſueſcunt noſtri naturam arte & conſuetudine juvare. Etenim urſos, tauros, arctylos, aliaque fera animalia, præfectis certaminum arctophylacibus, nullo millo, nullo corio defenſos exagitare: ſæpe etiam cum homine ſude, clava, enſeve armato concertare docent,

cent, atque ita ferociores acrioreſque reddunt, & imperterritos faciunt. Vis illis ſupra fidem, & pertinax mordacitas, uſque adeo ut tres urſum, quatuor vel leonem comprehendant. Quod videns aliquando (ut fama eſt) HENRICUS ſeptimus, Angliæ rex prudentiſſimus, quotquot erant ſuſpendi juſſit, indignatus ut infimi & ignobilis generis canes, generoſo leoni, & animalium regi violentiam inferant: memorabili exemplo ſubditorum, ne quid contra regem gens rebellis audeat. Haud abſimilis etiam hiſtoria de eo fertur, quod falconem quendam ſuum, à falconariis vehementer laudatum, quòd in aquilam quid auderet, quam mox occidi juſſit, ob eandem rationem. Hoc genus canis, etiam catenarium, à catena ligamento, qua ad januas interdiu detinetur, ne ſolutum lædat, & tamen latratu terreat, appellatur. Et quanquam Cicero pro S. Roſſ. opinetur, ſi canes luce latrent, iis crura ſuffringantur, noſtri tamen homines propter ſecuritatem vitæ atque rei longe aliter ſentiunt. Nam furum apud nos

Henricus ſeptimus.

Cicero.

Fures.

plena ſunt omnia, etiam luce, neque infamem mortem ſuſpendia metuunt. In cauſa eſt non curta res ſolum, ſed veſtis vitæque luxus atque faſtus etiam, ſed petulantia, ſed otium & ſuperbia Salaconum μεγαλορρῆνων, qui nihil aliud quàm ut equi inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos, quàm gyro breviori flecti, qui nihil aliud quàm cevere, quàm otiosè mendicando accuſata non merente corporis infirmitate ſpoliare. Sed his Valentinianus imperator benè proſpexit, legibus latis, ut qui nullo corporis morbo laborantes, corporis infirmitatem deſidioſi ignavique prætexentes, mendicarent, perpetui colono ei inſervirent, qui eorum ignaviam proderet atque accuſaret, ne eorum deſidia oneroſa populo, odioſave ſit exemplo. Alfredus quoque regno adminiſtrando tanta vigilantia juſtitiaque uſus eſt, ut ſi quis per vias publicas incedens, marſupium auro plenum veſperi perdidiſſet, manè, atque adeo poſt menſem unum, integrum & intactum inveniret, uti Ingulphus Croylandenſis in hiſtoria refert. Noſtra autem ætate,

Valentinianus.

Alfredi vigilantia.

ætate, nihil ferè ſecurum, ne in ædibus quidem, quamvis accuratè concluſis. Cuſtos quoque (Græcis οἰκουρὸς) a cuſtodiendis non ſolum villis, ſed & mercatorum ædibus, & quibus ampla res eſt domi, canis iſte nominatur. Eam ob rem canes publicæ alebantur Romæ in Capitolio, ut ſignificent ſi fures venerint. Dicitur & Laniarium, quòd eorum uſus multus ſit laniis agendis & capiendis beſtiis. Sed & Moloſſicum quoque & Moloſſum latinis dicitur, à Moloſſia Epiri regione, ubi hoc genus canes boni & acres erant. Eſt ex hoc genere quem Mandatarium ex argumento appellamus: quòd domini mandato literas aliaſve res de loco in locum transferat, vel mellio incluſas, vel eidem alligatas. Quæ ne intercipiantur, vel pugna, vel fuga ſi impar ſit, diligenter cavet. Eſt & Lunarium, quòd nihil aliud quàm excubias agit, quàm inſomnes noctes totas protrahit baubando ad lunam, ut Nonii verbo utar. Ex quibus grandiores atque graviores, etiam rotæ amplioris circumactu, aquam ex altis puteis ad uſus

Canis cuſtos.

Canis laniarius.

Moloſſicus.

Mandatarius.

Lunarius.

Aquarius

rusticos hauriunt, quos Aquarios appellamus ex officio: & sarctores ærarios vagos manticis ferendis memorabili patientia levant; à qua re sarcinarios nuncupamus. Præter has villaticorum qualitates atque usus, hanc unam habent præcipuam, quòd amantes dominorum sunt, & odium gerant in externos. Quo fit ut per itinera dominis in præsidio sunt, quos à furibus defendunt, vivos salvosque conservant: a qua re etiam canes defensores jure dici possunt. At si quando vel multitudine, vel majori vi opprimatur dominus atque concidat, usu compertum est, herum non deserere ne mortuum quidem, sed eum ad multos dies per famis & cœli injuriæ patientiam peramanter observare, & homicidam, si occasio dabitur, interficere, aut saltem prodere vel latratu, vel ira, vel hostili insultu, quasi mortem heri ulturum. Hujus rei exemplo fuit nostra memoria canis cujusdam viatoris, qui Londino recta Kingestonum, octo regum coronatione percelebre oppidum, profecturus, cum bonam itineris partem confeciſſet, latronum

Sarcinarius.

Defensor.

Canum amor & fides.

Kingestoune.

num insidiis in Comparco, valli amplo & spatioso, nemoribus obsito, & latrociniis infami loco, occubuit. Canis item ille Britannus genere, quem Blondus sua memoria scribit, non longe Parisiis hero à rivali interempto, & homicidam prodidisse, & ni canis ultionem homicida deprecatus esset, jugulaturum fuisse. In incendiis quoque in conticinio seu intempesta nocte incidentibus, eo usque latrant annosi canes, etiam prohibiti, dum à domesticis excitatis percipiatur focus; & tum sua sponte cessant à latratu, quod usu compertum est in Britannia. Nec minor erat fides in eo cane qui domino profundam foveam per venatum incidenti nunquam abfuit, dum sui unius indicio sublatus is per funem fuit: in quem, cum oris canervæ proximus esset, insiliebat canis, tanquam ulnis amplexurus revertentem herum, impatiens longioris moræ. Sunt qui focum non patiuntur dissipari, sed prunas in focum pede removent, prius cogitabundi aspicientes qua ratione id possit à se fieri. Quod si pruna ardentior

Canum ingenia.

fuerit, cinere obruunt, ac dein nare in locum promovent. Sunt quoque qui noctu villici officium præstant. Cum enim lectum petit herus, & omnia centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri robora, nec custos absistit limine Janus (ut scribit Virgilius) tum si prodire jubeat herus canem, is per fundos omnes oberrat, quovis villico diligentior, & si alienum quid invenerit sive hominem, sive bestiam, abigit, domesticis relictis animalibus atque servis. Sed quanta in his fidelitas, tanta varietas in ingeniis. Nam sunt qui ore infræno latrent tantum nullo morsu; verum hi minus tremendi, quòd timidiores sunt. Canes enim timidi vehementius latrant, ut est in proverbio. Sunt qui latrent atque mordeant. Ab his cavendum quidem, quia admonent futuræ injuriæ, sed non lacessendum, quoniam ira concitantur ad dentem, ipsi etiam natura acerbiores. Sunt qui sine voce prosiliunt, impetu involant, jugulum petunt, & crudelius lacerant. Hos formidato, quia animosiores sunt, & incautos opprimunt.

Notæ ignaviæ aut audaciæ.

Istis

Iſtis notis ignavum genus a ſtrenuo, audax a timido diſcernunt noſtri. Etenim ex malo genere, ne catulum quidem habendum exiſtimant, quòd nullum neceſſariis uſibus humanis commodiorem canem iſto putent. Nam ſi quis commemoratos eorum uſus ad ſummas velit revocare, quis hominum clarius aut tanta vociferatione beſtiam vel furem prædicat, quam iſte latratu? quis domitor ferarum potentior? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis cuſtos incorruptior? quis excubitor vigilantior? quis ultor aut vindex conſtantior? quis nuncius expeditior? quis aquarius laborioſior? quis denique ſarctor ærarius geſtandis ſarcinis tolerantior? Atque hæc quidem de canibus Britannicis generoſis atque ruſticis, qui genus ſuum ſervant, diximus. De degeneribus, & ex horum diverſo genere mixtis, quòd nullam inſignem veri generis qualitatem formamque referant, non eſt quod velim plura ſcribere, ſed ut inutiles ablegare, niſi quòd vel advenas latratu excipiant, etiam luce, & eorum adventus domeſticos

Ex degeneribus.

Admonitor. domeſticos commonefaciant, unde canes admonitores appellamus: vel quòd in officio culinario, cum aſſandum eſt, inſerviant, & rota minore gradiendo, verua circumagant, pondereque ſuo æquabiliter verſent, ut ne calo aut lixa quidem artificioſius; quos hinc canes verſatores, ſeu veruverſatores noſtrum vulgus nominat: poſtremos omnium generum, quæ primo memoravimus. Sunt etiam canes noſtri degeneres & ad tympanum ſaltare, & ad lyræ modos ſe movere docti, multaque alia erecti pronique facere, quæ à vagis quæſtuoſiſque heris exequi didicerunt. Lyciſcum nullum iſtic in Anglia habemus nativum, ut ne lupum quidem ut eſt ante comprehenſum, nec aliud genus ullum præter Lacænam & Urcanum: illam ex cane & vulpe (quam multam habet Anglia, & domi inter canes vel animi vel morbi cauſa ſæpè alit) hunc ex urſo & cane catenario; quos licet inimicos, pruriens tamen libido ſæpè ita hic conjungit, ut alibi ſolet. Nam cum tigride Hircanos, cum leone Arcadicos, cum lupo Gallicos

Verſator.

Tympaniſta.

Lyciſcus.

Lacæna.

Urcanus.

commiſcuiſſe legimus. In hominibus quoque quibus ratio eſt, inimicos animos conciliat ſtulta illa res & naturalis, ut Moria loquitur. Eſt hic urcanus, ſæva beſtia, & intractabilis iræ (ut Gratii poetæ verbis utar) cæteros canes noſtros omnes feroci crudelitate ſuperans, vel aſpectus torvitate terribilis, in pugna acris & vehemens, tantaque mordacitate, ut citius diſcerpas quàm diſſolvas; nec lupum nec taurum, urſum aut leonem reformidat: vel cum cane illo Alexandri Indico certe conferendus. Sed de his hactenus ut de Britannicis verba fecimus. Externos aliquos & eos majuſculos, Iſlandicos dico & Littuanicos, uſus dudum recepit: quibus toto corpore hirtis, ob promiſſum longumque pilum, nec vultus eſt, nec figura corporis. Multis tamen quòd peregrini ſunt, & grati ſunt, & in Melitæorum locum aſſumpti ſunt: uſque adeo deditum eſt humanum genus etiam ſine ratione novitatibus. ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παροῤῥῶμεν συγγενεῖς, miramur aliena, noſtra non diligimus. Neque hoc in canibus ſolum, ſed


Externi canes.

Externa prælata.

ſed in artificibus quoque uſu venit. Noſtros enim licet doctos & peritos faſtidimus, belluam e longinqua barbarie alienoque ſolo profectam tanquam aſinum Cumani, aut hominem Thalem, noſtri ſuſpiciunt. Id quod Hippocrates ſub initio libri ſui περὶ ἀγμῶν recte ſua ætate obſervavit, & nos libello noſtro ſeu conſilio de Ephemera Britannica ad populum Britannicum copioſius explicuimus. Atque in hoc genere quo quiſque indoctior, audacior, incogitantior, hoc pluris fit apud noſtros, atque etiam apud torquatos iſtos principes atque proceres. Cæterum de externis canibus nihil dico, quòd de Britannicis tantum voto tuo ſatisfacere ſtudeo, Conrade vir doctiſſime. Inter ea tamen quæ aliàs ad te dedi, de cane Getulo ſeorſum ſcripſi, quòd rara ſpecies ejus videbatur. De cætero genere, ipſe pleniſſimè ſcribis. Verum cum longius jam produximus hunc libellum quàm priorem ad te, brevius tamen quam pro natura rei, quòd habuimus rationem ſtudiorum tuorum, memoriæ cauſa quæ de canibus

Canis Getulus.

Britannicis diximus, in diagramma reducemus. Et quia vulgaribus nominibus delectaris, ut ex literis tuis didici, ea quoque Latinis apponemus, & singulorum rationes exponemus, quò nihil tibi sit incognitum aut desideratum.



Ista

Iſta vocabula noſtratia cum nihil apud te, hominem peregrinum, loquantur ſine interpretatione, ut Latinorum vocabulorum rationem prius reddidimus, ita Anglicorum jam reddemus, quo tibi pateant univerſa, eo etiam quo prius obſervato ordine.

Sagax. Hunde igitur (quem inter venaticos ſagacem diximus) a verbo noſtro hunte, quod apud noſtros venari ſignificat, unica tantum immutata litera derivata appellatione, nomen habet. Quod ſi a vocabulo veſtrati hunde, (quod canem in univerſum apud vos ſignificat) propter vocum ſimilitudinem appellari credas (mi Geſnere) ut non magnopere repugnabo, cum adhuc retinemus multa Germanica vocabula, a Saxonibus cum Angliam occuparunt nobis relicta, ita illud admonebo, commune quidem nomen canis apud nos dogge eſſe, venatici vero canis hunde.

Agaſæus. Similiter a verbo noſtrati, Gaſe, (quòd fixius rem aliquam & attentius contueri eſt) Gaſehunde appellatur noſtris, quem ante Agaſæum nominari diximus. Neque

que enim odoratu, ſed proſpectu attento & diligenti feram perſequitur iſte canis, ut jam ante memoravimus; etſi non ſum neſcius etiam apud Latinos Agaſæi vocabulum inter canum nomina reperiri.

A Gre quoque, Grehunde apud noſtros invenit nomen, quòd præcipui gradus inter canes ſit, & primæ generoſitatis. Gre enim apud noſtros gradum denotat. Hunc latinè Leporarium dicebamus. *Leporarius.*

A levitate Leviner, a loro Lyemmer, appellatur is quem Levinarium & Lorarium latinè nominavimus. Nam Lyemme noſtra lingua, Lorum ſignificat. Quod autem a levitate Leviner, hoc eſt a latina voce Britannicam, diducimus: cur in libris noſtris ſparſim a Græcis dictionibus & Latinis, Italicis & Germanicis, Gallicis & Hiſpanicis noſtratia multa derivamus, unde ortum eadem multa habuerunt: & quemadmodum ab origine ſua etiam multa per corruptionem jam declinarunt, libello noſtro de ſymphonia ſeu conſonantia vocum Britannicarum fuſius explicabimus. *Levinarius.* *Lib. de ſymphonia.*

Poſtre-

Vertagus. Postremus inter venaticos Vertagus est, quem Tumbler vocitamus; quòd tumble apud nos vertere est Latinis, & tumbiere Gallis, unde ortum habet id nomen Tumbler, mutata vocali in liquidam nostro more: contra quàm in lingua Gallica & Italica, in quibus liquida ante vocalem, magna ex parte in aliam vocalem vertitur, ut impiere & piano, pro implere & plano, quæ exempli gratia adduco, cum infinita sint.

Aucupatorii. Post Venaticos sequuntur Aucupatorii; inter quòs primus est Hispaniolus, quem ab Hispania voce nomen accepisse prius diximus. Nostri omissa aspiratione & prima vocali, Spainel & Spaniel expediti sermonis causa proferunt.

Index. Secundus Index, quem nostri a Setter nominare solent, a verbo sette, quod locum designare nostris Britannis significat.

Aquaticus. Post hunc subsequitur aquaticus, hoc est a Waterspainel, a vocibus Water & Spaine (hoc est aqua & Hispania) deducto nomine. Nam aqua, in qua se exercet canis iste, Water; & Hispania (unde primum genus hoc tractum ex nomine creditur)

ditur) Spaine apud noſtros vocitatur. Non quòd iſti canes non ſint etiam nativi in Britannia, ſed quòd generale & commune nomen canum, qui ex Hiſpania primò profecti putantur, iſtæ canum ſpecies (ut & cæteri Aucupatorii) adhuc vulgo referunt, etſi in Britannia oriantur, & peculiari aliqua vocis nota, aut qualitatis indicio ſecernantur apud nos; ut eſt iſta ſpecies vocis Water, hoc eſt aquæ, appoſitione. Alio etiam nomine a Finder canis iſte appellatur, quòd quærendo invenit res deperditas, quæ res noſtris, fynde, hoc eſt invenire, dicitur. Nos tamen ab inquirendo latinum nomen huic fecimus, quòd præcipua pars inventionis in inquirendo eſt. *Inquiſitor.*

A venaticis & aucupatoriis tranſitus eſt ad Delicatos, Ruſticos, & Degeneres. Delicatum, Melitæum & Spainel gentle, hoc eſt Hiſpaniolum generoſum, nominavimus, à generoſitatis nomine data appellatione, quòd inter nobiles viros atque fœminas verſari, & iis in deliciis atque ad luſus eſſe conſuevit: ut erat illud Gorgonis κυνίδιον apud Theocritum in Syracuſiis, *Delicati.*

quod diſcedens ſervæ diligentiæ pari cura cum infante commiſerat, ut catellum quidem illa intro revocaret, puerum verò vagientem placaret. Ad alia omnia inutilis canis iſte eſt, niſi ad ea quæ jam ante diximus, niſi ad fovendum ſtomachum debilitatum frigore, niſi ad prodendum adulterium, quod feciſſe hujus generis catellum quendam Siculum refert Ælianus, libro ſeptimo, capite viceſimo quinto animalium.

Ruſtici. Ruſticos, Shepeherdes dogges, Maſtives, & Bandedogges nominavimus: illorum quidem deducto nomine a paſtore, qui Shepeherde apud nos dicitur, quòd cuſtodit oves, quæ noſtris, Shepe, appellantur; iſtorum a ligamento, quod Bande, & Sagina, quod maſte, villicis noſtris hominibus dicitur. Eſt enim craſſum genus canum, & bene ſaginatum catenarium hoc. Etſi non ſum neſcius Auguſtinum Niphum, Maſtinum (maſtivum noſtri dicunt) pecuarium exiſtimare: & Albertum Lyciſcum ex cane & lupo genitum eſſe ſcribere: quamvis idem pro Moloſſo magna ex parte vertat.

Ad

Ad poſtremum, degeneres Wappe & Turneſpete nominari dicebamus: hunc a verbo noſtrati turne, quòd eſt verto & ſpete, ſeu ſpede ad imitationem Italorum, quod veru dicitur; illum a naturali canis voce Wau, quam in latratu edit admonendo. Unde, originaliter Waupe dicendum fuit. Sed euphoniæ bonæque conſonantiæ gratia, vocali in conſonantem mutata, Wappe a noſtris vocitatur. Etſi non me fugit Nonium, a voce naturali Bau, formare ſuum baubari, non a Wau, quemadmodum & Græci a ſuo βάυζειν. *Verſator.*

Jam verò quòd danſare noſtris, ſaltare ſit Latinis, ſi didiceris, non eſt de canis ſaltatoris noſtrati nomine amplius quod ipſe expetas. *Saltator.*

Ita habes (mi Geſnere) non ſolum canum noſtratium genera, ſed & nomina quoque Latina atque Anglica, officia atque uſus, differentias atque mores, naturas & ingenia, ut non ſit quod deſideres in hoc argumento amplius. Et quanquam forſan omni ex parte non ſatisfecerim tibi in edendo (cui in deſideriis omnis feſtina-

tio in mora esse videatur) quòd inhibuerim editionem rudioris illius libelli, quem ad te tanquam ad privatum amicum, non ad editionem publicam ante annos quinque dederim; tamen in hoc spero me satisfeciſſe tibi, quòd mora fecit aliquanto meliorem, & δευτέραι φροντίδες lectu commodiorem.

Joannis Caii Britanni de Canibus Britannicis libelli finis.

Iste liber scriptus fuit ante mortem Gesneri, etsi non ante publicatus, ut est ille de rariorum animalium atque stirpium historia.

JOANNIS

JOANNIS CAII
BRITANNI
DE
Rariorum Animalium
ATQUE
STIRPIUM HISTORIA,
LIBER UNUS.

JOANNIS CAII BRITANNI

DE

Rariorum animalium atque ſtirpium hiſtoria, libellus.

Ad Geſnerum.

ARISTOTELEM, virum omnium ſæculorum laude celebratum, cum animalium hiſtoriam ſcriberet, & principis ope & multorum opera uſum eſſe, monumentis traditur, quòd nec omnibus cognoſcendis ſufficere, nec omnibus locis eſſe, nec omnium operas præſtare unus ille potuiſſet. Idem cum ſcirem tibi uſu venire potuiſſe ho-

neſto opere occupato (Conrade Geſnere doctiſſime) adhibebamus diligentiam noſtram partim ſponte naturæ noſtræ, partim honeſtiſſimis literis tuis excitati, ut quæ iſtic in noſtra Britannia occurrerent, honeſtum conatum tuum in utilitatem communem inclinatum promoverent. Miſimus igitur quædam per intervalla temporum, prout ſe fortuna nobis obtulerunt. Ea in unum veluti faſcem collegimus, & in ordinem revocavimus: tum quòd univerſam rerum naturam ut nos expreſſimus tu non prodidiſti, ſed detruncatam pro uſu tuo: tum quòd quædam intercidiſſe tibi (ut Brendini anſeris deſcriptionem) in ſcriptis tuis confiteris. Hæc quòd rarioris generis atque argumenti ſunt, tuaque cauſa ſcripta, de rariorum animalium atque ſtirpium hiſtoria ad te inſcripſimus. Continet enim quadrupedes omnes, volucres, piſces, atque ſtirpes, quæ aliàs ad te conſcripſimus & tranſmiſimus, quæque apud nos in ſcriptis aſſervavimus, & aliquot præter ea alia, in quæ vel ex eo tempore incidimus, vel quæ ad te non ante miſimus.

ſimus. Ex quibus ea ſolum prodidimus, quæ rara, & magna ex parte a communi uſu ſenſuque hominum noſtri orbis remota nobis videbantur, ab omnibus notis & vulgaribus temperantes. Et quoniam de Britannicis tantum canibus ſcribere inſtituimus in libello noſtro de canibus Britannicis ad te, externos canes quos ego miſerim, tanquam alienos ab illo inſtituto, in hunc libellum relegavimus. Is, quòd unus ſolus & Getulus fuit, de eo ſolo jam dicemus, exordiumque ab eo capiemus, cætera ſuo ordine proſequentes: ſic ut primo de quadrupedibus; mox de avibus; tertio de piſcibus; ultimo de ſtirpibus verba faciamus.

De Cane Getulo.

CAnis Getulus jam anno domini, 1554. apud nos eſt in Britannia: corpore coacto, curto & recurvo naturaliter, etiam cum ingrediatur, pariter & collo brevi aut nullo; cruribus longioribus quam pro corporis proportione, cauda breviſſima & pene nulla; facie (ut herinaceo terreſtri) acuta *De quadrupedibus*

acuta atque nigra; oculo item nigro, dente canino, ex altera oris parte infra ſupraque geminato, ex altera ſimplici; voce canis, greſſu ſimiæ, pilo per faciem & anteriores partes crurum levi, per reliquum corpus hirto. Idem per totum corpus intimus ſeu ad profundum ruffus eſt, per tergus extimus & per ſuperficiem Lupinus. Longitudo illi a capite ad caudam, pedis unius tantum eſt, & pal. unius Ro. dempto uno digito. Altitudo, pedis unius & pal. unius eſt.

De Uncia.

Uncia fera eſt ſæviſſima, canis villatici magnitudine, facie & aure leonina; corpore, latere promiſſo, cauda, pede & ungue felis, aſpectu truci; oculo ſplendore radiante, dente tam robuſto & acuto, ut vel ligna findat; ungue ita pollet, ut eodem contra nitentes in adverſum retineat: colore per ſumma corporis palleſcentis ochræ, per ima cineris, aſperſo undique macula nigra & frequenti, cauda reliquo corpore aliquanto obſcuriori & grandiori

macula; quam extremam movet, ut felis, cum lubet, reliqua immota. Auris intus pallet ſine nigro, foris nigricat ſine pallore, ſi unam flavam & obſcuram maculam è medio eximas. Ea e duplici pelle (ea videlicet quæ e regione exteriori maxillæ aſſurgit, & quæ a ſummo capite convenit) in ſumma aure coeunte conſtituta eſt, facileque in ſicco capite (quale domi meæ habeo) & videri & ſeparari eædem poſſunt. Reliquum caput totum eſt maculoſum frequentiſſima macula nigra (ut eſt reliquum corpus) niſi ea parte quæ inter naſum & oculum eſt, qua nullæ ſunt, niſi utrinque duæ, & eæ parvæ: quemadmodum & cæteræ omnes in extremis & imis partibus reliquis ſunt minores. Maculæ in ſummis quidem crurum partibus & in cauda nigriores ſunt & ſingulares, per latera vero compoſitæ, quaſi ſingulæ maculæ ex quatuor fierent. Ordo nullus eſt in maculis, niſi in labro ſuperiori, ubi ordines quinque ſunt. In primo & ſuperiori duæ diſcretæ: in ſecundo ſex conjunctæ, ut linea eſſe videantur. Hi duo ordines

ordines liberi ſunt, nec inter ſe commiſti. In tertio ordine octo conjunctæ ſunt, ſed cum quarto, ubi finit, commiſcentur. Quartus & quintus in ſuo principio (quod ad naſum habent) tenui admodum diſcrimine ſeparati, ſtatim ſe committunt, & una decurrunt per totum ſuperius labrum, faciuntque non maculam per totum id, ſed latam lineam. In mortuo animali ita ſe habent maculæ, propter cutis (puto) contractionem. In vivo, maculæ iſtæ in ſuis quæque ordinibus videntur ſeparatæ. In ipſo medio inter hos utrinque ordines aliæ minores ſunt, exactè per quincuncem diſpoſitæ. Sed in imo labro maculæ, etſi magnitudinem, non tamen ordinem ſervant. Naſus nigreſcit, linea per longitudinem perque ſummam tantum ſuperficiem inducta leniter. Oculi glauci ſunt. Dentes illi anteriores hinc inde ſex ſunt, humanis non abſimiles, niſi quòd ex his qui in medio collocantur, minores: qui per extrema, majores ſunt, ut & ſuperiores imis. His utrinque dens grandis, acutus, atque lon-

gus

gus eſt, in ima maxilla cæteris junctus, in ſuperiori tanto ſpatio disjunctus, quanto dens inferior capi poſſit. Hi labris velantur in vivo animali, ſed in mortuo non item, reductis præ ſiccitate labris. Grandis ille dens longus eſt digitos Rom. duos, in ambitu ad radicem non niſi digitis duobus cum ſemiſſe comprehenſus. Denti ineſt cavitas quædam exilis per totam longitudinem, quæ tamen non apparet niſi rumpatur dens. Inferior maxilla durum os eſt & rigidum, tres dentes habens magnitudine inæquales, ut & ſuperior quatuor. Cava etiam ea eſt intus per longitudinem. Inter magnum dentem & maxillarium primum inferioris maxillæ, ſpatium eſt unius digiti vacuum, a quo poſitus ſtatim eſt primus, cæteris duobus minor. Huic contiguus alius eſt grandior: & poſt hunc tertius etiam, ſecundo major. In ſumma maxilla, in medio illo ſpatio (quod digiti unius Rom. eſſe dixi) inter dentem grandem & primum maxillarem, dens eſt exiguus admodum & informis, demittens ſe tantum leniter è maxilla, nullo in inferiore,

riore, qui illi reſpondeat, exiſtente. Dimidiati digiti poſt eum ſpatio, ſecundus eſt, cui junctus tertius eſt, & poſt hunc quartus. Inter ſe ita ſuperiores & inferiores maxillares morſu committuntur, ut pectinatim coeant. Duo priores in inferiori, & ſecundus & tertius in ſuperiori maxilla dentes, ejus ſunt figuræ, cujus eſt iris in ſummo diademate coronatorum aureorum Regis Angliæ atque Franciæ. Ejus etiam figuræ tertius eſt in inferiori, & quartus in ſuperiori, niſi quòd interior utriuſque ala, quæ gulæ propior eſt, natura demitur. His conjuncti nulli erant alii in utraque maxilla. An poſt intervallum unius digiti, finita dentium ſerie, relictum integrum alii erant inſerti, neſcio. Illud ſcio, non niſi poſt id ſpatii amputatas maxillas, quaſi ſtudio monſtrandi dentes id eſſet factum, indicioque nullos ſuperfuiſſe. Pudendum iis eſt felis. Mari ſtatim ſub meatu, quo alvi excrementum redditur, poſiti teſticuli duo ſunt parvi, quibus ab ima parte junctus caulis eſt, non propendens, ſed in ſuo præputio extube-

rans

rans tantum leniter. Vivit ex carne. Fœmina mare crudelior eſt & minor. Utriuſque ſexus una ad nos ex Mauritania eſt advecta nave. Naſcuntur in Libya. Si quod illis coeundi ſtatum tempus eſt, hic menſis Junius eſt. Nam hoc mas fœminam ſupervenit: ſi id natura fecit ac non laſcivia. Leones cicurari poſſunt, id quod ex hoc intelligo, quòd in urbe Londino, & in arce Londinenſi leones cuſtodum ſuorum oſcula excipiunt, contactum admittunt & colludunt. Ipſe vidi. Iſta animalia tam ferocia ſunt, ut cuſtos, cum primò vellet de loco in locum movere, cogebatur fuſte in caput acto (ut aiunt) ſemimortua reddere, atque ita in capſam ligneam ad hoc factam, & reſpirationis gratia perforatam reponere, atque ita de loco in locum tuto tranſportare. Poſt horam reviviſcebant tamen hæc, ut cati, non niſi extremis injuriis obnoxia morti. Itidem fecit cuſtos cum è capſa exemit. Jam vero novas rationes invenerunt reponendi & eximendi, trahendo ea in capſam fune, & capſam eis admovendo conto.

Fœminam

Fœminam jamdudum ira ſuſtulit: parvi canis conſuetudine manſueſcit mas, adeo ut reſupinatus complectatur canem pedibus & colludat, ita ut nec dente lædat nec ungue. Veſtigia habet Leoninis prorſus ſimilia. Eodem enim die & unciæ & Leonis veſtigia vidi, hujus cum homine, illius cum parvo cane ludentis. Ungues habet validos, uncos & acutos, falculoſque averſos, quorum mucrones condit in corporis vaginas ut leo & felis, nec niſi appetendo prætendit. Aiunt hæc animalia ſæpe cum leone contendere. Parvum canem non lædunt, niſi fames urgeat: magnum vel ſatiati lacerant. Iratus, vocem edit irati canis, r. literam geminantis, ſed quàm quivis canis majorem, ex amplo pectore & arteria ſeu curculione ductam; qualemque canis villaticus redderet, ſi in cupa grandiori incluſus ad iram ſtimularetur. Quòd ſcribunt eſſe cane longius, id mihi non videtur. Nam ſunt apud nos multi canes villatici, qui longitudine æquent. Pecuario tamen & major eſt & longior, ut & villatico humilior.

lior. Vanum eſt, quem Uncia vulneravit, cum murium concurſu permictum interire. Nam nos vidimus duos cuſtodes ab una Uncia vulneratos, nec tamen mures accurrerunt, nec perminxerunt, neque ex vulnere gravius quid eſt inſecutum, quam ſi ex ſano cane, aut inciſione levi vulnus eſſet. Quem ferit, caput petit ſi poſſit, idque aut ex inſidiis, ſi imparem ſe putet: aut ſimulata benevolentia, ſi inſidiis non poſſit. Ita enim canem villaticum (ſic M. Varro & Columella eum nominant, quem hodie Moloſſum vocant; cujus generis præcipui pugnaceſque apud nos ſunt in Britannia, ut ſi uſpiam terrarum, adeo ut ne cum urſo quidem certare ſingulari certamine vereantur; uti in libro noſtro de canibus Britannicis diximus) dudum interfecit intromiſſum. Primo enim conſpectu, caudæ motu applaudebat: mox ſe proſternebat tanquam ſupplex, tum appropinquabat velut ludibunda, exporrecto pede uno, ut feles ſolent cum ludere geſtiunt. Tandem ubi ſecurum putabat canem, ac de vita parum ſollicitum, nacta

opportunitatem, impetu insultabat, ac morsu jugulum petiit, nec nisi mortuum dimisit. A morte, ungue lacerando pectus aperuit, & cor eduxit, primumque voravit, crudeli more. Dentes non denudat nisi irata.

Panthera. Non absimiles istis mores Pantheris sunt. Etenim tradunt odore earum & contemplatione armenta mire affici, atque ubi eas persentiscant, properatò convenire, nec terreri nisi sola oris torvitate. Quam ob causam Pantheræ statione absconditis capitibus, quæ corporis reliqua sunt spectanda præbent, ut pecuarios greges stupidos in obtutu populentur secura vastatione.

De Lynce seu Leuncia.

Est in arce Londinensi animal carnivorum, agni bimestris magnitudine, corpore toto, capite, ore, pede, & ungue felis; sed sua barba atque cauda; illa utrinque dependente, ex dimidio anteriori nigra, posteriori alba; hac, brevi atque crassa, ex dimidio superiori ruffa, inferiori nigra. Oculo flavescente, cilio obscurè albicante.

Aure,

Aure, ut cati, erecta, pilo intus albo & tenui repleta, foris albo & nigro veſtita, ſed ita ut ſumma pars nigro, media, triangulari fere modo, candido, & ima nigro veſtiatur. Nec eſt ea contenta ſuo orbe finiri, niſi etiam & anterior ejus pars ſeu extrema margo & poſterior etiam eo modo recurvetur in averſum, quo modo margines galeri ſacerdotis Græcæ apud Venetos eccleſiæ utrinque ad ſuperiora replicantur. Summis auribus inſident pili aliquot nigri, veluti criſtæ. Color animali eſt in extima parte ruffus, in intima albus, ſed reſperſus hic fuſcis & fere per quincuncem diſpoſitis, illic ſui coloris obſcurioribus maculis, ſingulari pilo candido & item frequenti per univerſum corpus præter cætera conſpicuus, ut eſt in quibuſdam cuniculorum nigris pellibus. Ex utraque naſi parte maculæ quatuor ſunt, ordine recto poſitæ, in utroque labro, ut nunc dicemus. In ſuperiori labro, quinque ſunt macularum ordines æquidiſtantes. In primo ordine & ſummo, quatuor; in ſecundo, quinque; in tertio,

octo; in quarto, quinque; in quinto, quatuor ſunt, & hæ etiam in ſuo quæque ordine æquidiſtantes. In imo labro, ſeptem ſunt tantum inſigniores, duobus ordinibus collocatæ. In primo, quatuor, ad ipſam labri oram; in ſecundo poſt eas, tres aliæ; poſt has, aliæ minores, ſed non ita certa lege diſpoſitæ ut ſuperiores. In ſuperiori labro, utrinque extant pili quidam rigidiores atque albi, ut in catis & leonibus. Naſus illi ruffeſcit pallide, diſtinctus a cætera facie undequaque linea nigra. Extremum naſum per longitudinem alia linea (ut in Uncia) dividit, ſed per ſumma tantum leviter ducta, non per ima altius impreſſa. Pes illi calloſus eſt, & unguis, ut Feli & Unciæ, in pede abditus, nec niſi appetendo prætendit ut illæ. Scandit mirum in modum, ita ut ea in re quid poſſit, ipſa natura vel in cavea docet. Mobile animal eſt, & loco ſtare neſcit, adeo ut niſi fortè fortuna Pici martii vox ex corbe cujuſdam ruſtici (qui tum leones videndi cauſa venerat) quietum reddidiſſet & attentum, nulla fuiſſet ſpes exquiſitioris

oris delineamenti. Eo præſente, quietiſſimum erat; illo diſcedente, nuſquam conſiſtebat. Quamobrem coactus eram, miſſo poſt ruſticum famulo, vocalem illum emere, quo præſente, mirabundum tantiſper conſtitit, dum confecto negotio atque abſoluto opere diſcedendum fuit. Luzarne noſtri vocant, Leunciam ne an Lyncem ex vocum ſymphonia dicturi, ambiguum eſt. Pellis in uſu eſt magnatum, & pretiis venditur amplioribus. Non excandeſcit niſi in injurioſos. Vocem reddit qualem felis, cum ſuccenſet ſocio cibum prærepturo. Cuſtodi blandum eſt & mite, nec in quenquam ſævum.

De Zibetto.

Nuper fortuna mihi Zibettum animal ex Africa obtulit. Id curioſius ad vivum atque diligentius depictum ad te mitto, ut non ſit ovum ovo ſimilius. Id fele quovis majus eſt, & taxo paulo minus, facie acuta ut taxi aut martis, aure brevi, obtuſa, & orbiculari, intus pallida, foris nigra, niſi in marginibus ubi palleſcit. Oculo

cœruleo & cœlesti, crure & pede nigro, explanatoque magis quam feli: ungue item nigro, nec in pede abdito, nec ita adunco ut feli, dente magis quàm ungue timendum. Totum est maculosum. Etenim nasus illi niger est, ima pars maxillæ superioris pallescit, media nigrescit: inde ad verticem, melino colore est. Inferior maxilla nigra est tota. Setæ in labro superiori albæ sunt in pallida cute, ut & paulo supra oculum duæ aliæ albæ in cute nigra. Guttur nigrescit. Paulo infra supraque aurem lineæ tres nigræ oriuntur, quarum prima recta descendit ad guttur: secunda obliquè defertur ad mediam colli longitudinem: tertia obliquè item ad armum fere pertinet. Paulo infra id loci, contrario ductu, aliæ lineæ exorsæ, semicirculari pene modo ascendunt ad spinam per armum, idque per armi tantum regionem. Nam cæterum corpus macularum lineas (seu ordines) abruptas aut continuas, per corporis longitudinem dispositas, aut productas habet. Etenim quæ per spinam tenditur una, longa est &

continua, ab armis incipiens; ſecunda una item, ſed abrupta, ut & tertia. Quarta & quæ deinceps ſunt, maculæ diſcretæ ſunt, ſed ita ut in longitudinem porrigatur earum poſitio. Cauda illi ex dimidio priori maculata, ex poſteriori nigra ex toto eſt. Pilus per faciem, tibiam, atque pedem, mollis eſt & ſeſſilis; per reliquum corpus, profundus, rigidus & erectus. Maculæ penitus deſcendunt, non per ſumma tantum incumbunt. Lingua non ſcabra, ſed lævis eſt. Sub cauda meatus eſt, ut cæteris animalibus, per quem alvi excrementum egerit. Paulo inferius, civettæ receptaculum eſt. Pari poſt ſpatio pudendum maſculinum eſt, in corpore abditum. Iratum vocem edit irati canis, r. literam geminantis. Aliter affectum, felis, cum adhuc ſit juvenis, ſed ſubmiſſam. Longum eſt Zibettum à capite ad caudam, pedem unum, palmos tres, & digitum unum Rom. Craſſum ſub ventre maximè, qua maximum eſt, pedem unum, palmos duos & digitos tres Rom. Manſuetum animal hoc noſtrum eſt, & tracta-

bile. Vendebatur libris octo noſtratibus, hoc eſt, coronatis Gallicis viginti quatuor, aut florenis Rhenenſibus quadraginta octo.

De Strepſicerote.

Strepſicerotis cornua tam graphicè deſcripſit Plinius, atque lyris tam appoſitè comparavit, ut longiore verborum ambitu opus non ſit. Ergo hoc tantum addam; ea eſſe intus cava, ſed longa pedes Rom. duos, palmos tres, ſi recto ductu metiaris: ſi flexo, pro natura cornuum, pedes tres integros. Craſſa ſunt, ubi capiti committuntur, digitos Romanos tres cum ſemiſſe. Deſcribuntur in ambitu palmis Romanis duobus & dimidio eo ipſo in loco. In ſummo, lævore quodam nigreſcunt, cum in imo fuſca magis & rugoſa ſint. Jam inde a primo ortu ſenſim gracileſcunt, & tandem in acutum exeunt. Pendunt una cum facie ſicca per longitudinem dimidiata, libras 7. uncias 3. & ſemiſſem. Facies, quæ adhuc ſupereſt juncta cornibus, & frontis cerviciſque pilus, loquun-

tur Strepſicerotem animal eſſe magnitudine ferè cervina, & pilo ruffo ad inſtar cervini. Sed an nare & figura corporis cervina ſit, ex facie nihil habeo certi dicere, cum nares diuturni temporis uſu detritæ ſint, & facies eadem de cauſa hinc inde glabra ſit. Conjiceres tamen ex eo quod ſupereſt, eum propius accedere ad Cervum aut Platycerotem. Hinc pictor cervinas adjunxit nares Strepſicerotis faciei. Aures tamen habes Strepſicerotis, exiguas ſcilicet & breviores, quàm pro faciei magnitudine. Quod inter radices cornuum vides, pars colli eſt. Sunt qui putent ovem Cretenſem Strepſicerotem eſſe. Equidem aliter ſentio: Etenim ſi ovis Cretenſis ſeu Judæa, Strepſiceros ſit, propter erectorum cornuum verſuram, eadem opera & Monoceros erit Strepſiceros. At non propter verſuram erecti fibri, ſed flexuram indirecti cornu vocatur Strepſiceros. Ita enim flexa utraque ſunt, ut eorum curvaturæ faciant imaginem lyræ, ut rectè ſcripſit Plinius. Quamobrem lyræ imaginem adjunxi, ut inter Strepſicerotem

cerotem & ovem Cretenſem, non tu ſolum, ſed & omnes qui eam viderint dijudicent. Talem autem antiquorum lyram fuiſſe viciſſim & ex hac cornuum curvatura, & ex cœleſti lyra ſcire licet (etſi in chartis aſtronomicis aliter depingatur) ſi dempto manubrio, aut pro manubrio ſuppoſito animalis capite, ſpatium inter cornua corpus eſſe lyræ animo conceperis.

De cornibus Cervi Palmati.

Caput hoc videtur mihi ejus animalis eſſe, quod Julius Capitolinus in hiſtoria ſua de tribus Gordianis Cervum Palmatum ex argumento vocat. Ejus ſi non eſt, alicujus ex genere Platycerotôn fuerit. Verum quòd cornua hæc aut æquant aut ſuperant & longitudine & craſſitudine cervina, & latitudine excedunt Platycerotis cornua, conſonum eſt corpus animalis Cervi potius quam Platycerotis ſimile eſſe. Vidimus in cœnobio Killyngworthenſi, in Anglia noſtra in comitatu Warwicenſi, unde depinximus.

De Tragelapho ſeu Hircocervo.

Eſt in Britannia noſtra hoc anno 1561. peregrinum animal & biſulcum, ex rupibus montaniſque locis Mauritaniæ adventitium, media magnitudine inter Cervum & Platycerotem: corpore quidem cervi, ſed latere firmiori & promiſſiori, crureque breviori & craſſiori: colore item & pilo cervi, quo eſt hibernis horis, ruffo & nigro promiſcuè poſitis: arunco capri, ſed diviſo, ſed in adverſum recurvo; collo mediocriter quidem longo, ſed craſſo. Sub eo multus & longus villus, per omnem penè ejus longitudinem productus, ad genua ferè pendulus: juba ſetoſa per totam cervicis longitudinem exporrecta, ſed præcipuè per ſummos armos tuberis inſtar longi erecta, colore quàm eſt reliqui corporis aliquanto obſcuriori: genibus longo & denſo pilo ad poſteriora reflexo per tranſverſum, ſed callo nullo contectis, credo ut fallentis ſaltus, caſuſve injurias arceat; ungula priorum pedum exteriori, majori & longiori; interiore, minori

minori & breviori. Posteriorum contra, interiori ungula majori & longiori; exteriori, minori & breviori, quasi utrobique unam capri, alteram cervi diceres: sed omnibus cavis, & solea seu vestigio carentibus, hoc forsan naturæ consilio, ut per asperitates locorum, quibus naturaliter delectetur, firmius figat pedem, dum asperitas loci ungulam subintret. Fœminarum ungulæ duas aut tres impressiones habent, per summa læves diligentius contuenti, quæ maribus desunt, quasi fœminis natura aliquid ad delicias atque ornamentum adderet. In utroque sexu ungulæ quotannis decidunt, ut in cervis cornua; volente natura in ungulis cervum monstrare, cum in cornibus, quæ caprina magis sunt, non posset. Aure breviori, quasi capri; oculo, pudendo, testiculo, & cauda cervi, nisi quòd hæc momento longior est. Cornibus arietis sed nigris, sed suo modo in aversum reflexis. Per eorum longitudinem mediam producitur linea, duos distinguens rugarum utrinque recurvarum ordines. A summa sui parte, gibba

gibba ſunt, ab ima, cava, ſeu reſima, angulis utrinque obtuſis. Longa ſunt pedes Rom. duos & digitum unum; diſtantia qua latiſſimè patent, pes unus, palmi tres, digitus unus, & ſemis; qua minimè, vix digiti unius latitudo eſt. Craſſa verò ad radices in ambitu, pes unus, pal. ſemis. A digitalis enim, (ut dixi) latitudinis diſtantia in principio, ſenſim ſe expandunt in latus & averſum ad pedem unum, pal. 3. digitum unum & ſemiſſem. Dein ſe revocant introrſum, ita ut ſumma faſtigia non diſtent niſi pede uno & palmo uno. Cornuum ſitum atque flexum naturalem contemplare in capite abſoluto a corpore; figuram gibbam & reſimam in adnato. Longitudo faciei a vertice ad nares extremos pedis eſt unius & digit. 3. latitudo ad frontem, qua parte latiſſima eſt facies, palmos duos, & digitum unum eſt. Altitudo totius animantis eſt, pedum trium & ſemiſs. excepta juba; longitudo totius a vertice ad caudam, pedum 4. eſt & dimidii, ac digitorum duorum. Dentes habet tantum inferiores, & eos ſex,

ſex, nec defectum dentibus puto. Ruminat ut cætera biſulca. Nares nigri ſunt, a quibus labrum ſuperius dividitur linea nigra perpendiculari. Mite animal eſt, petulans & laſcivum, moribuſque reliquis ſimilius hirco quàm cervo: præruptis editiſque locis atque tectis gaudens & inſultans, unde ſe præcipitare in cornua aiunt naturaliter, ut iis fracto prius caſus aut ſaltus impetu, anteriora genua corpus poſtea excipiant. Curſu valet, ſed ſaltu magis. Memoratæ enim altitudinis loca ſaltu ſcandit. Fœminæ maribus multo ſunt minores, cornutæ etiam & villoſæ gutture atque collo, ſed non ita magno, longo, & reflexo cornu, nec ita denſo & longo villo, ut mares. Veſcitur fœno, pane, furfure triticeo, avena, & herba. Ego Tragelaphum puto. Vulgus & qui ex Mauritania advexerunt, ovem Barbaricam vocant, cum tamen nihil habet commune cum ove. Quidam rurſum cervum Barbaricum, qui rectius ſentire mihi videntur, cum ex dimidio poſteriori, ſimilior cervo ſit; ex anteriori, magis capro. Fœtus pariunt ſingulos. *De*

De Bucula Cervina.

Ex Mauritaniæ deſertis locis advectum ad nos eſt animal biſulco veſtigio, magnitudine cervæ, forma & aſpectu inter cervam & juvencam: unde ex argumento voco Moſchelaphum, ſeu Buculam cervinam. Capite & aure longa atque tenui, tibia & ungula gracili ut cervæ, ita ut ad celeritatem videatur factum animal. Cauda pedali longitudine & paulo amplius, forma, vaccinæ caudæ quàm ſimillima; ſed brevitate accedens propius ad cervinam, quaſi natura ambigente cervæ ne eſſet an vaccæ; per ſuperiora ruffa & lævis, per ima nigra & hirta. Colore corporis fulvo, ſeu ruffo undique, pilo ſeſſili cutique æquato, in fronte ſtellatim poſito, at ſub cornibus per ambitum erecto. Cornibus nigris, in ſummo lævibus, cætera rugoſis, rugis ex adverſa parte, ſibi vicinioribus; ex averſa, ad duplam aut triplam latitudinem a ſe diductis. Ea cornua primo ſuo ortu digitali tantum latitudine diſtantia, paulatim ſe dilatant

ad

ad mediam uſque ſui longitudinem & paulo ultra, qua parte diſtant pal. 3. Rom. & ſemiſſem. Tum ſe reducunt leviter, & recedunt rurſus in averſum, ita ut extrema cornua non diſtent niſi pal. 2. digit. 3. & ſemiſſis intervallo. Longa quidem ſunt ped. 1. & pal. 1. craſſa vero in ambitu ad radices, pal. 3. Caput a vertice, qua parte linea nigra inter cornua dividitur, ad extremos nares, longum eſt ped. 1. pal. 2. & digit. 1. latum, qua eſt latiſſimum, in fronte videlicet paulo ſupra oculorum regionem, digit. 7. craſſum in ambitu, qua maximum eſt, ped. 1. & pal. 3. Dentes habet octonos, ordine caret ſuperiori, & ruminat. Ubera ſunt duo, corpori æquata, quo conſtat juvencam eſſe, nec dum fœtam. Placidiſſimum animal eſt & tractabile, ludibundumque, ſaltu valens atque curſu. Quibuſvis per famem veſcitur, pane, foragine, carne ſalita, fœno, herba, & quovis oblato. Uſus ejus eſt in venatione, caroque dulcis. Contemplare imaginem accuratè factam, ita ut vivam diceres ſi ſpiritus adeſſet, ſed

per

per maciem depictam triduo ante mortem. Ex quo ſcire licet habitiorem fuiſſe per valetudinem buculam hanc cervinam.

De Hippelapho, ſeu Equicervo.

Norvegia in noſtram Britanniam animal quoddam tranſmiſit, ſui quidem generis, ſed mixtæ formæ. Nam corpore compacto, crure longo atque gracili, ungula bifida, cauda brevi, cervum eſſe diceres; capite & aure Mulum, cornu Dorcadem, labro ſuperiori propenſo alcem ferè, juba equum, niſi quòd tenuior & erectior ea eſt quàm equi. Peculiariter habet ab armis ad caudam per omnem ſpinæ longitudinem pilum elevatum leviter, aruncum ſub fauce promiſſum, & in eo palear pendulum, pilum per armos longiuſculum obliquo aſcenſu, collum brevius quàm pro corporis modo. Eam ob rem cum vel herbam carpit, vel panem projectum tollit, vel potum ex vaſe aut vado ſumit, in genua procumbit. Cornua in hoc genere mari tantum, non e ſummo capite erecta, ſed e medio ferè capite ex

utroque latere paulo ſupra oculum enata, & in latus exporrecta, aſpera & tuberoſa ut cervis, nuſquam lævia, niſi in ſummis proceſſuum faſtigiis, & qua decurrunt venæ, ad tegumentum villoſum per teneritudinem nutriendum in longitudinem productæ. Minus tamen aſpera ſunt a primo proceſſu ad ſecundum in anteriori parte, & rugis potius quàm tuberculis conſpicua. Eadem ad dimidiam ſui longitudinem recta tendunt, inde in ſublime ſenſim recurvantur. Utrumque proceſſus tantum tres facit, quorum humiliores bini in adverſum ſpectant, ſublimiores ſinguli cœlum. Evenire tamen ſolet, ut vel inopia pabuli, vel morbo, (ut cuſtodes retulerunt & ipſe vidi) ſiniſtrum cornu duos tantum exigat proceſſus. Longa ea ſunt pedem Romanum unum cum ſemiſſe, & digitum unum cum ſemiſſe. Craſſa ad radicem palmos Romanos duos integros. Summus unius cornu proceſſus diſtat a ſummo alterius, pedibus Rom. tribus, & digitis tribus: ut & infimus ab infimo, pedibus duobus. Metior

a faſtigiis. Colore ſunt & denſitate ſubſtantiæ cervinis quàm ſimillima. Pendunt una cum ſicca, dimidiata, rupta, & ſpongioſa fronte, libras quinque cum ſemiſſe & unciæ dimidio. Cum libram dico, uncias ſedecim intelligo. Decidunt quotannis ut cervis Aprili menſe. Cava enim non ſunt. Frontis ſpacium inter cornua palmorum duorum Rom. cum ſemiſſe eſt. Eminens calvæ pars, quæ inter cornua eſt, a poſteriori parte cava eſt. In ea cavitate cerebrum erat poſitum, diſcenditque ad mediam oculorum regionem. Eam in ſceleto a. & b. literæ indicant. Dens ut cervis, ſed equino major, & in maxillaribus per interiores ſulcos, ſed ſumma ſua parte, denticulus acutus aſſurgit, ne quid eo cibi inconfectum delabatur. Colore id animal eſt per adoleſcentiam murino aut aſinino: per provectam ætatem fuſco, ſed magis per extremas totius corporis margines; pilo læviſſimo, cruris maximè, niſi ſub ventre, in intimo & ſummo crure, imo & ſupremo collo, pectore, armo atque ſpina.

Proceritate eſt duodeviginti palmorum vulgarium & digitorum trium. Multo velocius equo eſt. Fœmina ſingulos peperit in Britannia; aiunt tamen geminos parere. Caro illi nigra eſt, & fibra craſſa atque longa uti bubus; præparata tamen ut cervina, atque in furno cocta, in cibo cervina eſt ſuavior. Veſcitur herba, ſed rarius apud nos, eo credo ingenio quo equi, qui cum panem poſſunt, fœnum nolunt: Folio, cortice ex arbore, pane & avena lubentius. Priora vel ad triginta pal. vulgares excelſa, naturali corporis poſitura carpit. Si quid ſit eo excelſius quod affectat, erigit ſe in poſteriores pedes, & prioribus in arborem aut maceriem innixum, ut ſolent capræ, vel ſupra fidem extento ore detruncat; tanta eſt animalis proceritas & altitudo. Bibit aquam, bibit & alam ſeu beram avidiſſime pariter & copioſiſſimè, idque ſine ebrietate. Sunt qui vinum dedere, ſed id ſi prolixius hauſerit, imitatur vitium ebrietatis. Placidiſſimum animal eſt, ſi cicuretur; alioqui ferox admodum, & humanum genus perſequens,

ſequens, ſi non aſpectu, at odore, quo maximè pollet, & cane certius. Quamobrem qui per vivaria regia illi præficiebatur, ſingulis annis ſerra diſſecabat cornua. Quem comprehendit, calcibus deturbat, & ſi eques eſt, etiam equum. Quem non ante conſpectum odore præſenſerit, voce prodit propemodum clarè grunnientis ſuis. Orbum ſua fœmina mulieres valde affectat, & quaſi ſexum noſſet, pudendum denudat. Id habet inſtar cervini. Ungulam ejus adverſus morbum caducum valere creditur. Hoc animal Norvegia Elend & Elke nominat, ſi bene externa vocabula noſtri ſonant. Equidem Hippelaphum ſeu Equicervum cum Ariſtotele & Alberto Magno dicerem. Hic enim Muli caput, atque aures habere dicit equicervum; Ille jubam tenuem a capite ad armos protenſam, aruncum peculiarem a gutture pendulum, & Dorcadis cornua geſtare ſcribit Hippelaphum. Alcem eſſe non putem; cùm Alci nec crura flexa ſed rigida, nec cornua his ſimilia, nec in armis juba ſit apud veteres, ſi bene memini.

Minus Hippardium crediderim, cum præsertim fœmina cornibus careat, & mari aruncus sit; quæ in Hippardium non cadunt. Tragelaphum esse dicere vetant & Dorcadis cornua, & Muli caput. Adjungam veram imaginem, & seorsum capitis Sceleton unà cum suturis ut erant naturaliter, quo certius, quæ ad capita pertinent, cernantur omnia.

De dama Plinii.

Damam Plinii ex caprarum genere esse indicat pilus aruncus, figura corporis, atque cornua; nisi quòd his in adversum adunca, cum cæteris in aversum acta sint. Capræ magnitudine est, & colore Dorcadis. Plinii & Romanorum esse, indicio est, quòd Romæ in columna quadam marmorea & triumphali superstite adhuc, cum anno domini 1543. essemus Romæ, insculpatur, & cum Pliniana descriptione conveniat.

De ove Arabica μακροκέρκω.

Ovis Arabica paulo major nostra est vulgari, eodem tamen quo nostra vellere

&

& figura corporis, sed colore paulo obscuriori. Tantum tibiæ & prima facies ruffescunt modicè. Cauda longa est cubitos tres. Hinc μακρόκερκον voco. Hanc naturaliter per terram trahit ovis. At ne attracta teratur in terram & exulceretur, excogitarunt pastores, caudæ postellum (ἀμαξίδα Græci dicunt) subdere, & illi caudam alligare. Vescitur herba, carne, pisce, pane, caseo, & quibusvis, id docente fame in navi, cum advecta ad nos est ex Africa in Britanniam. Herodotus in Thalia scribit, non alibi visum hoc aliudque genus πλατυκερκὸν (quod hic subjiciam) quàm in Arabia. Sunt in Arabia (inquit) duo ovium genera, admiratione digna, neque alibi usquam visa: Alterum, caudam gerit tricubitali longitudine; alterum, cubitali latitudine. Eam ob rem πλατυκερκὸν Arabicam istam nominare libuit. Aristoteles tamen in Syria progigni scribit hoc genus ovium latæ caudæ lib. de historia animalium octavo, in hæc verba: ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ τὰ πρόβατα τὰς ὰρὰς ἔχει τὸ πλᾶτος πήχεως: & Plinius Aristotelem imitatus lib. item

octavo, cap. 48. Syriæ cubitales ovium caudæ (inquit) plurimumque in ea parte lanitii. Mores habet cæterarum ovium.

De Ove Arabica πλατυκέρκω.

Ex Arabicarum genere ovis hæc est Tartarica, vulgaris quidem suo orbe atque loco, sed nostro incognita & inusitata, vulgari nostro arieti, non testiculis & repandis cornibus solum, sed totius corporis forma quàm simillima, nisi quòd duplo ferè major nostro est, naresque habeat aquilinas, posteriorum item pedum ungulas exteriores interioribus multo longiores, & caudam sine osse, cubitali latitudine, ad gravitatem (puto) duodecim librarum & amplius, paulo ultra clunes prominentem, cujus extremæ latitudinis partes ita attenuantur, ut clunibus ab utroque latere affixæ, accommodatius adæquentur. Natibus hæc insternitur, nusquam a corpore absoluta, nisi in ima sua parte, qua excrementum animalis redditum decidit. Qui locus pugni seu manus contractæ amplitudinis est, & veluti meatus excrementi vestibu-

lum. Ita ea cauda facta eſt, ut natura videatur reliqui corporis cutem paulo ultra clunes produxiſſe, ut, involuta prius illa cute pinguitudine, reducat eam poſtea ad nates reliquaque femora contegenda. In ſummo tegitur illa vellere piloſo, multo, atque denſo, ita ut cauda non eſſe videatur, niſi contrectes manibus & ſubleves. Tamen quicquid prominet ultra regionem clunium, cauda eſt. Ea ſubtus glabra eſt, & lana omni nuda, niſi quòd in ejus extremo & medio margine interiori nævus quidam cutaneus, ſeu acrochordon lanuginoſus, digitali ferè craſſitudine ſed non longitudine propendeat, ſub aſpectum non cadens niſi caudam latam eleves. Eum cuſtodes caudam putant. Caudæ ſubſtantiam quidam pinguitudinem, quidam carnem glanduloſam, ut eſt vaccarum uberum, eſſe autumant. Diſcrimen diſcam in morte animalis. Ovis mas eſt ſeu aries, vellere tectus multo, piloſo, profundo & denſo, ad genua fere promiſſo. In colore per omnia melino obſcurè ruffeſcit, niſi media facie qua albeſcit, & utroque

octavo, cap. 48. Syriæ cubitales ovium caudæ (inquit) plurimumque in ea parte lanitii. Mores habet cæterarum ovium.

De Ove Arabica πλατυκέρκω.

Ex Arabicarum genere ovis hæc eſt Tartarica, vulgaris quidem ſuo orbe atque loco, ſed noſtro incognita & inuſitata, vulgari noſtro arieti, non teſticulis & repandis cornibus ſolum, ſed totius corporis forma quàm ſimillima, niſi quòd duplo ferè major noſtro eſt, nareſque habeat aquilinas, poſteriorum item pedum ungulas exteriores interioribus multo longiores, & caudam ſine oſſe, cubitali latitudine, ad gravitatem (puto) duodecim librarum & amplius, paulo ultra clunes prominentem, cujus extremæ latitudinis partes ita attenuantur, ut clunibus ab utroque latere affixæ, accommodatius adæquentur. Natibus hæc inſternitur, nuſquam a corpore abſoluta, niſi in ima ſua parte, qua excrementum animalis redditum decidit. Qui locus pugni ſeu manus contractæ amplitudinis eſt, & veluti meatus excrementi veſtibu-

lum. Ita ea cauda facta eſt, ut natura videatur reliqui corporis cutem paulo ultra clunes produxiſſe, ut, involuta prius illa cute pinguitudine, reducat eam poſtea ad nates reliquaque femora contegenda. In ſummo tegitur illa vellere piloſo, multo, atque denſo, ita ut cauda non eſſe videatur, niſi contrectes manibus & ſubleves. Tamen quicquid prominet ultra regionem clunium, cauda eſt. Ea ſubtus glabra eſt, & lana omni nuda, niſi quòd in ejus extremo & medio margine interiori nævus quidam cutaneus, ſeu acrochordon lanuginoſus, digitali ferè craſſitudine ſed non longitudine propendeat, ſub aſpectum non cadens niſi caudam latam eleves. Eum cuſtodes caudam putant. Caudæ ſubſtantiam quidam pinguitudinem, quidam carnem glanduloſam, ut eſt vaccarum uberum, eſſe autumant. Diſcrimen diſcam in morte animalis. Ovis mas eſt ſeu aries, vellere tectus multo, piloſo, profundo & denſo, ad genua fere promiſſo. In colore per omnia melino obſcurè ruffeſcit, niſi media facie qua albeſcit, &

utroque

utroque corporis latere, media ſua parte, qua griſea eſt, & in imo ventre, quo pallet. Altitudo animalis duorum pedum Romanorum eſt, palmorum trium, & digitorum duorum; longitudo a vertice ad extremam caudam ped. 4. & digit. 5. craſſitudo per ambitum velleris ped. 5. & palmi unius eſt. Facies a vertice ad extremas nares pedis eſt unius & digiti unius. Cornuum radices junctæ ſunt, poſitæque medio loco inter verticem & oculos. Eo ſunt colore cornua, quo cæteris ovibus, per convexum magis quàm canum rugoſa; longa ped. 1. dim. & digit. 1. Aures fulveſcunt ut & tibiæ, antrorſumque per medium cornuum flexum proſpectant. Ruminat, caretque dentium ordine ſuperiori, ut cæteræ oves, inferioribus quinque tantum exiſtentibus. Vox item ovis eſt, ſed grandior, ut ex amplo pectore. Manſuetum animal eſt & tractabile, eiſdemque moribus quibus cæteræ oves. Equidem, ex vero illo ovium Arabicarum genere puto, quod πλατυμερκὸν Herodotus dixit, quòd latitudo caudæ tantum

tantum ſit ſine longitudine, etſi ex Tartaria productum ſit.

De Bonaſi cornibus.

Incidi in caput vaſti cujuſdam animalis (mi Geſnere) cui nudum os capitis unà cum oſſibus, quæ cornua ſuſtinebant, graviſſimi ponderis erant, & juſtum ferè attollentis onus. Quorum curvatura ita ſe promittit, ut non recta deorſum vergat, ſed obliquè antrorſum. Quod quia videri nequit in facie proſpiciente, curavi ut appareret in avertente in latus. Spacium frontis inter cornua palmorum Romanorum trium eſt cum ſemiſſe. Longitudo oſſium cornuum pedum duorum, palmorum trium, & digiti ſemiſſis eſt. In ambitu, ubi capiti junguntur, pedis unius & pal. ſemiſſis ſunt. Hujus generis caput aliud Warvici in caſtello vidi anno domini 1552. quo loco magni & robuſti Guidonis, comitis olim Warvicenſis, arma ſunt. Cujus cornuum oſſibus ſi ipſa cornua, quæ dempta erant, addas, multo fierent longiora, & alia figura atque curvatura.

vatura. Eo in loco etiam vertebra colli ejuſdem animalis eſt, tanta magnitudine, ut non niſi longitudine trium pedum Romanorum & duorum palmorum cum ſemiſſe circundari poſſit. Æquè & ad id animal pertinere exiſtimo omoplatam illam quæ viſitur catenis ſuſpenſa e porta ſeptentrionali Coventriæ, cui ut nulla ſpina eſt, (ſi bene memini) ita lata eſt ima ſua parte pedes tres, digitos duos; longa ped. 4. palm. 2. Ambitus acetabuli, quod armum excepit, pedum trium eſt, & palmi unius. Circundat os integrum, non niſi pedum undecim, palmi unius longitudo & ſemiſſis. In ſacello magni Guidonis comitis Warvicenſis, quod poſitum eſt non amplius mille paſs. Warvico oppido, ſuſpenditur coſta hujus item animalis (ut ego quidem reor) cujus ambitus, quo loco minima eſt, palmorum trium eſt: Longitudo, ſex pedum cum dimidio. Sicca ea eſt, & in extima ſuperficie carioſa, pendit tamen lib. 9. cum ſemiſſe. Ex vulgo pars apri eſſe coſtam putat, a Guidone occiſi: pars vaccæ, quæ propè Coventriam

in

in foſſa quadam commorabatur, multis infeſta. Quam poſteriorem opinionem ad verum propius accedere puto, cum Bonaſi forſan eſſe poſſit, aut uri. Multa hujus generis animalia olim fuiſſe in noſtra Anglia (ſilveſtri olim & nemoroſa Inſula) veriſimile eſt, quòd nobis adhuc pueris multus uſus erat hujuſmodi animalium cornuum in menſa ſolennioribus epulis loco poculorum, ut olim uri cornuum in Germania ad eum uſum, referente Cæſare in commentariis de bello Gallico libro ſexto. Suſtinebantur pedibus ex argento tribus, & ab oris item argento concludebantur, ut ibi. Sic quoque olim qui cultui ſtudebant, dentibus marinantium belluarum inſigniebant enſium capulos. Candicabant enim ad eburneam claritatem. Nam præcipua viris gloria ſemper fuit in armorum nitela. Jam vero non niſi auro & argento fulgent hæc.

De Sciuro Getulo.

Sciurus Getulus coloris eſt mixti ex rufo & nigro. Eum ab armis ad caudam per

per latera & dorſum albæ fuſcæque lineæ, alternatim certis diſtinctæ intervallis, decentiſſimè depingunt. Idem aliquibus fit in colore ex albo & nigro, reſpondentibus etiam in cauda lineis; niſi ſi quando expanſa cauda propter pilorum raritatem eædem diſpareant. Venter illi cœruleum colorem imitatur in albo poſitum. Paulo minor is eſt vulgari Sciuro. Nec aures extantes habet, ut ille; ſed depreſſas magis & ferè capiti æquas, orbiculares, & per cutis ſuperficiem deductas in longum. Caput Ranæ ferè eſt. Cætera ſimilis vulgari Sciuro. Nam figura corporis eadem, eadem natura pili, mos idem & vivendi ratio. Cauda ſe contegit more cæterorum Sciurorum. Cujus imago ad vivum depicta eſt & expreſſa. Nam e Getulia (quam hodie vocant Barbariam) a mercatore quodam aliquot vivi ad nos allati ſunt, utriuſque quem dixi coloris. Eos ad delicias alimus, & extra omnem controverſiam Sciuri ſunt. Nam (ut dixi) & mores, & magnitudo, & vivendi genus, & vox, & uſus caudæ, & erecta in-

ſeſſio quando eſt, & cætera reſpondent. Tantum ſocordia differt. Eſt enim tardum & pigrum animal, meticuloſumque, neque ea vivacitate & agilitate qua noſtri valet aut ſaltu, vix auſum de menſa aut ſcamno humili deſilire. Frigoris quoque impatiens eſt. Quo fit ut ſole lociſque gaudeat calidis. Veſcitur nucibus, amygdalis, pane & ficu, ut & carnibus quoque avidiſſimè. Ego depingendum curavi extenta cauda, ne corpus adumbraretur, caudaque, qualis ea eſſet & colore & figura, oſtenderetur.

De Saguina.

Saguina animal eſt parvum, ſoricis magnitudine, aut non multum ſupra modum puſilli cuniculi, aut arctomyos junioris (utriuſque magnitudinis unum vidi) colore griſeo, barba fulta & obſcurè cinerea, cauda ſoricis operta pilo, pedibus Sciuri, facie cephi ſeu ſatyri penè, aure orbiculari, patente & humili, veſtita pilo intus nigro, foris candido, & moribus caudatæ ſimiæ. Mulieribus noſtris in deliciis eſt. Vivit

uvis

uvis paſſis, pane, ficubus, pomis atque pyris.

De Cercopitheco vario.

Habemus iſtic apud nos ex Mauritania Cercopithecum quendam, quem vocamus Barbaricum, ſeu mamonetum varium, colore dorſi & lateris viridi, frequenti hinc inde inſerto pilo griſeo ſeu melino. Ventre, mento & barba (quam habet lunatam) candidis, facie & tibiis nigris, naſo albo: cætera, aliis Cercopithecis ſimilem. Ex minore genere Cercopithecorum eſt, magnitudine videlicet cuniculi minoris. Deſcripſiſſe ſatis eſt, cum figura corporis cæteraque lineamenta cæteris Cercopithecis nulla in re differant.

De Chamæleonte.

Chamæleon animal eſt quadrupes, macrum & gibboſum, capite galeato, corpore & cauda lacertæ majoris, cervice penè nulla, coſtis plus minus ſedecim, obliquo ductu ventri junctis ut piſcibus; prioribus cruribus brachiis humanis, poſterioribus

oribus cruribus hominis parum lacertoſi & figura & flexu quàm ſimillimis; pedibus manus hominis ad carpum uſque diviſas ſingulariter imitantibus; ſed ita, ut in prioribus pedibus, auricularem & medicum digitum a cæteris dividi, in poſterioribus, auricularem medicum & medium ab aliis ſeparari intelligas. Cum enim digiti tantum 5. ſunt, in prioribus pedibus interius digit. 3. ſunt, exterius 2. In poſterioribus contra, interius 2, exterius 3. exiſtunt. Os illi hiatus eſt magnus, ab acuto in latum ſe diffundens, dentium locis oſſe perpetuo, & eo leviter ſerrato, tantaque labra, quantis poſſit illud contegi. In ore lingua eſt acuta, cujus ima pars os eſt, ſumma laxum & apertum marſupium primo aſpectu. At ſi educas, corpus longum eſſe videtur ad inſtar pyramidis, palmi unius Romani longitudine. Ea jaculata, & magna celeritate vibrata, ad muſcas capiendas utitur: cumque reducit, ita in ſe redit ea, ut latior ejus pars anguſtiorem perpetuò excipiat, & præter baſim (in qua reliquum

jam ejus corpus totum veluti in patente marſupio recumbit) nihil conſpiciatur. Inteſtina habet piſcium more in ſpiras ſimplices convoluta, & excrementum in eis molle atque nigrum. Unde ſcire licet non rore, non aere ſolum vivere. Meatus excrementi eo loci corporis poſitus eſt, quo clunibus cauda jungitur. Ventri hepar ineſt, crocei plane coloris. In ſummo pectore duo erant corpuſcula carnea colore ſanguineo, ſed exigua, ut tuberculа. Eorum alterum cordis figuram repræſentabat; alterum pulmones eſſe non videbantur nec ſubſtantiæ ratione nec figura. Quid autem eſſent, non intelligo. Oculorum loci cavi ſunt, & per ſumma atque extima veluti ſuggrundiis per oras ſerratis defenſi. In eis oculi eadem cute contecti ſunt, qua reliquum corpus; nec diviſa ea parte cutis eſt in palpebras, ut in aliis animantibus, ſed circumducta totis penè, ut palla gemmis, niſi qua per exiguum foramen e medio proſpiciunt. Id autem officii præſtat illis cutis, quod in aliis animantibus muſculi. Ea enim

ducit

ducit ac reducit in hanc aut illam partem quo velit aſpectu internum oculum. Neque enim ut alia animalia motu muſculorum immotis palpebris oculum movent, ita & hoc immoto illo tegumento. Per ejus foramen pupilla nigra cernitur, & circa eam aureus circulus reſplendens penitius conſpicitur, maximè cum cœlum ſuſpicit. Ab extremo oculi tegumenti orbe ad pupillæ foramen, ſex lineæ croceæ æquis intervallis in ortu diſtinctæ ita ducuntur & coarctantur ſenſim, ut meridianæ illæ lineæ ab æquatore ad polum alterum ductæ. Galeam ſpinæ jungit aſſurgens cuticula, & ex utroque galeæ latere cutanea duo corpora brevem cervicem contegunt. Cutis aſpera eſt, & veluti minimis unionibus undique conſita, maximè per ſummam ſpinam & imum ventrem. Utrobique enim veluti filum quoddam unionum per mediam corporis longitudinem, quàm cæteris partibus majorum, ducitur; per ſumma, a capite ad caudam; per ventrem imum, ab extrema maxilla inferiori ad caudam. Cauda teres

eſt, a ſummo gracileſcens ad extremum, æqua cum toto corpore longitudine, ſi caput demas, tota veluti ex unionum circulis conſtituta. Longitudo univerſi noſtri Chamæleontis erat juſti pedis Romani. Latitudo, a ſumma ſpina ad imum mediumque ventrem, duorum digitorum Romanorum & unius quarti. Recentis adhuc atque vivi animalis corpus ſucculentum eſt & æquabile, niſi coſtarum regione, & galeata parte, quæ leviter extuberant, e contra quàm in ſiccis ſceletis, ubi omnia inæqualia ſunt. Color vivis eſt, qui rei cui eſt proximus, in quem ſe novit naturaliter commutare. Hinc proverbium Chamæleonte mutabilior. Etſi ſunt qui dicant ſe obſervaſſe duos tantum referre colores, alio lucente ſole, alio per opacum. At mortui jam color totus pallidus eſt, ſed magis per ima & intima, conſperſus per ſumma & extima (maxime in ſpina & cauda) aureis maculis, crebris & majoribus ſeu oblongis orbiculis, ita ſpinæ incumbentibus, ut ſacci aſinis, ſed per intervalla; per ima & intima, cœruleis magis

& minoribus veluti punctis, ſub faucibus quàm alibi crebrioribus, & veluti per quincuncem diſpoſitis. Innocens animal eſt & tardum, placidum & tractabile. Tarditatem greſſus celeritate vibratæ linguæ penſavit in vitam. Hoc præ cæteris habet proprium, ut cum ſole occidat atque oriatur, ita ut quam corporis poſituram occidens ſol reliquerit, eandem oriens excipiat, ſive de ramo, altero tantum pede, pendeat, aut in ventrem humi pronus incumbat, aut alicui rei duobus pedibus, reliquis ſublatis, innitatur, aut alia quacunque forma. Interea temporis mortuus planè videtur omnibus. Hiatus illi æternus, ſine ullius uſus miniſterio. Hæc nos obſervavimus in vivo & mortuo, quem domi noſtræ diu aluimus.

Hactenus de quadrupedibus: nunc de avibus pauca illa proferemus, quæ ad te (Geſnere) dedimus.

De Haliaeto.

HAliaetos id genus aquilæ eſt, quod ex mari lacubuſque prædam quærit, *De avibus.*

unde nomen invenit. Is magnitudine Milvi eſt, capite albis & fuſcis diſtincto lineis, ut melino; roſtro aquilino; oculis in medio nigris, in ambitu aureis; lingua ferè humana, niſi quòd ad radicem utrinque habet appendicem; colore per ſumma aſturis, per ima albo; gutture maculis notato ruffis ut & ventre, pectore medio pure candido; crure craſſo & ſquamoſo; pede uncungui & cœruleo; digitis quatuor, per ſuperna ad dimidiam longitudinem etiam ſquamoſis, ad reliquam inciſis, per inferna aſperis & aculeatis tenacitatis cauſa; & his tam validis, ut flexos vix ulla vi extendas. Prædator is eſt piſcium, diſcuſſis decidentis corporis impetu aquis, ex eiſque vivit. Et quamvis ex piſce vivat, fidipes tamen eſt utroque pede, non altero palmipes, ut vulgus putat. Giraldus Cambrenſis libro de Topographia Hiberniæ, ubi de avibus biformibus agit, hunc Aurifriſium vocat; & altero pede aperto & unguibus armato eſſe, altero clauſo cum vulgo ſcribit. Supra magnitudinem corporis alæ longitudo eſt, quæ

ad pedes Romanos duos & digitos undecim extenditur. Inolevit opinio iſtic apud noſtrum vulgus in Britannia, eam ineſſe vim naturalem huic avi, ut quem conſpexerit piſcem, eum ſe quàm mox reſupinare & convertere, atque ad ſummam aquam aſcendere, in eaque fluitare ut ſopitum, quo facilior præda ſit volanti. Ideoque ejus adeps ſtudioſius aſſervatur a noſtris piſcatoribus, quòd eandem vim habere creditur. Frequentes ſunt apud nos in maritimis locis & Vecti inſula. Noſtri an Oſprey vocant. Moribus placidus eſt & tractabilis, & famis patientiſſimus. Vixit enim ſeptem dies apud me ſine cibo, & in alta quiete; niſi ſi hoc non mos fecit ſed fames, quæ omnia domat. Carnem oblatam recuſavit; piſcem non obtuli, quòd eum ex hoc vivere didici. Caro illi nigra eſt.

De anſere Brendino.

Anſer Brendinus avis eſt marina, palmipes, figura anſeris, ſed magnitudine paulo infra, capite albo exiguo & curto,

ſed roſtro nigro, a quo linea nigra ad oculum utrumque ducitur, collo fuſco, a pectore ad caudam ex dimidio corpore inferiori albo, coxendice murino (ut eſt Columbæ vulgaris color aut gruis) ex ſuperiori, ad collum fuſco, ut & ad caudam medio inter utrumque murino; alis item murinis, cum cauda longitudine paribus, ſed pennis ad extremum obfuſcatis. Cauda nigra eſt ex albo enata, pede nigro & palmato. Gregalis avis eſt & garrula. Ex piſce vivit, frequens apud nos per littora in Britannia. Vulgus Britannorum quod ad littus habitat a coloris varietate a Brendgoſe nominat. Orinthopolæ Londinenſes Bernaclum vocant, cum dicendum putem Berndclacum ſeu Brendclacum; quòd antiqui Britanni, atque item Scoti, anſeres marinos, paluſtres, & lacuſtres omnes Clakes dicebant, cum tamen hodie corruptè dicimus Fenlakes & Fenlagges, cum dicendum fuit Fenclakes. Varium item colorem, Brend, ſeu per metatheſim Bernd iidem appellabant. Unde bernded ſeu brended id animal dicitur, quod in colore

murino variegatum eſt albo, ut eſt hic anſer. Non eſt ergo Scotorum Baſſanus anſer, qui in Baſſe Scotorum Inſula nidum ponit atque ova, a qua nomen habet. In hanc inſulam rupem exiſtentem, nec in ſummo quantam Milvus oberret (ut Poëta dixit) ſed exiguam, venturi ſtato anni tempore anſeres, quo prius ſpeculatu, qua obſervatione præmiſſis nunciis utantur quàm ingrediuntur; quo anni tempore hoc faciant, qua ſolitudine inſulæ, concludentibus ſe incolis ad aliquot dies, donec ſe firmaverint anſeres, ne abigant, quanta multitudine atque denſitate involent, ſic ut in ſerenitate ſolem adimant, quot piſces afferant, quot ova pariant, & quantos fructus in annos ex eis anſerumque plumis atque oleo percipiant inſulani (nam Pupinorum pinguedinem habent atque guſtum) longum eſſet recenſere. *Anſer Baſſanus.*

De Anate Indica.

Eſt apud nos ex India anas, eadem planè corporis figura, eodem roſtro & pede quo vulgaris, ſed ex dimidio major ea & gravior.

gravior. Caput illi rubeſcit ut ſanguis, & bona pars conjuncti colli a poſteriore parte. Id totum calloſa caro eſt, & inciſuris diſtincta; quaque ad nares finit, carunculam demittit a reliqua carne figura ſeparatam, qualis cygnis eſt, roſtro conjunctam. Nudum plumis caput eſt, & ea quoque colli pars quæ rubeſcit, niſi quòd in ſummo capite criſta eſt plumea atque candida, per totam capitis longitudinem protenſa; quam, cum excandeſcit, erigit. Sub oculis ad roſtri initium per inferna inordinatæ maculæ nigræ carni ſunt inductæ; & una atque altera a ſummo oculo ad ſuperna elevatæ. Oculus flaveſcit, ſeparatus a reliquo capite circulo nigro. Sub extremo oculo in averſum macula eſt ſingularis, ſeparata a cæteris. Roſtrum totum eſt cœruleum, niſi quòd in extremo macula nigreſcit una. Pluma illi per totum colli proceſſum reliquum alba. Qua corpori collum jungitur circulus eſt plumeus niger, rara pluma alba, maculoſus & inæqualis, per ima anguſtior, per ſumma latior. Poſt eum per totum imum ventrem

ventrem pluma alba eſt; per ſummum corpus fuſca, ſed ab circulo illo nigro pluma alba in ſummo diviſa. Extremæ alæ atque cauda cum ſplendore vireſcunt, ut Cantharides. Tibiarum cutis fuſca eſt, inciſuris levibus per circuitus ducta. Membrana per intervalla digitorum pedis palleſcit magis, una atque altera reſperſa macula fuſca, incerta lege diſpoſita, niſi in intervallo ſiniſtri pedis, ubi ſex per digiti extremi longitudinem diſponuntur. Tardo gradu incedit propter corporis gravitatem. Vox illi non qualis cæteris anatibus, ſed rauca, qualis faucibus humanis catarrho obſeſſis. Mas major eſt quàm fœmina. Ea ſimilis mari eſt, niſi quòd non ita variegato corporis colore eſt. Vivit ex cœnoſis aquis, & aliis quibus cætera vulgaris anas gaudet.

De Anate Turcica ſive Indica altera.

Anati quidem ſimilis eſt quæ Turcica ſive Indica dicitur, ſed quantitate & magnitudine corporis anſerem ferè diceres. Tota eſt candida, niſi quòd roſtrum, tibiæ, atque

atque pedes rubent, genæque item calloſa carne, & roſtri tuber ſupra nares. Caro illi dulcis eſt, & vox ſibilus. Sunt ejus generis quædam colore albo & nigro variegatæ. In aqua vivit, lociſque gaudet cœnoſis ut cæteræ anates.

De Pica marina.

Pica marina (ut noſtrum vulgus nominat) paulo major eſt terreſtri, coloris quidem varietate in corpore ſimilis, ſed colore pedis, digitorum numero, inciſuris, cauda atque roſtro admodum diſſimilis. Nam pes rubet, & digito poſteriori deſtituitur, nec inciſuras habet is & tibia, ſed impreſſiones quaſdam, piſcium ſquamis quàm ſimillimas. Fiſſus eſt, ſed ita in digitis utrinque luxuriat cutis, quemadmodum in fulicis penè, ut ad natandum quoque pes factus videatur. Avis eſt Amphibios. Caudam curtam habet, roſtrum longum atque tenue, perpendiculariter latum, non teres, colore in ſummo ad caput rubrum, per reliquum pallidum, nec eſt in fine acutum, ſed obtuſum id. In menſa grata avis eſt.

De

De gallina Getula domeſtica.

Gallina Getula domeſtica, paulo minor noſtra eſt, colore in ſupernis obſcurè ruffa, in infernis pallida, pluma capitis incompoſita & erecta, criſta ſerrata, humili, ſimplici, carnea; gutturoſa magis perpetuò, quàm noſtræ cum glociunt; tibiis pedibuſque plumoſis, maximè per exteriora & poſteriora ut columbis, ne per interiores plumas greſſus impedirentur; cætera ut vulgaris.

De Meleagride.

Meleagris pulcherrima avis eſt, magnitudine corporis, figura, roſtro, & pede Phaſiano ſimilis; vertice corneo, in apicem corneum a poſteriori parte præcipitem, in anteriori leniter acclivem elevato, armatus. Eum natura voluiſſe videtur inferiori capitis parti tribus veluti laciniis ſe promittentibus committere atque deligare; inter oculum & aurem utrinque una, & in fronte media item una; omnibus ejuſdem cum vertice coloris; ita ut inſideat

insideat capiti eo modo, quo ducalis pileus illustrissimo duci Veneto, si quod jam adversum est aversum fieret. Rugosus is est, inferius, per circuitum, qua se attollit, in directum. In summo collo ad occipitium nascuntur erecti quidam atque nigri pili (non plumæ) in contrarium versi. Oculi toti nigri, æquè & in orbem palpebræ atque cilia, si maculam in summa & posteriori parte supercilii utriusque demas. Imum caput per longitudinem utrinque caro quædam callosa colore sanguineo occupat, quæ ne propendeat veluti Galli gallinacei palea, ut replicaretur natura voluit, & averso ductu in duos processus acutos a capite liberos finiret. Ex hac carne attollunt se utrinque carunculæ, quibus nares in ambitu vestiuntur, & caput in anteriori parte a cætero rostro pallido separatur. Harum ad rostrum margines inferiores replicantur etiam leviter sub utroque nare. Quod inter verticem & carnem est a dextra & sinistra parte, album deplume est, levi cœruleo mixtum. Color verticis atque apicis idem prorsus est cum

colore dactyli. Tibiæ nigræ ſunt, & in anteriori parte ſquamoſa inciſura duplici notatæ; in poſteriori nulla, ſed leves, & veluti punctis quibuſdam ſui coloris reſperſæ. Color illi ſub faucibus exquiſitè eſt purpureus; in collo obſcurè purpureus; in cætero corpore per ſumma contuenti, qualis conſurgit ſi album & nigrum pollinem utcunque tenuiter tritum colori fuſco rarius aſpergas, nec tamen commiſceas. Tali colori maculæ albæ ovales aut rotundæ per totum corpus ineſſe viſuntur, per ſumma minores, per ima majores, comprehenſæ intervallis linearum (ut apparet in plumarum compoſitione naturali) quæ ſe mutuo interſecant obliquo hinc inde ductu, per ſumma tantum corporis, non item per ima. Id non ex toto corpore ſolum deprehendes, ſed ex ſingulis avulſis plumis. Superiores enim, obliquis lineis ſe mutuo interſecantibus, aut, ſi mavis, orbiculis quibuſdam ex albo & nigro (ut dixi) polline confectis, & per extremitates conjunctis, ut in favis aut retibus, maculas ovales aut rotundas albas

in

in ſpaciis fuſcis comprehendunt; inferiores non item. Utræque tamen ſimili lege poſitæ ſunt. Nam in aliis plumis ordine ita junctæ ſunt, ut ferè triangulos acutos faciant; in aliis, ut ovalem figuram repræſentent. Hujus generis ordines tres aut quatuor in ſingulis ſuis plumis ſunt, ita ut minores in majorum complexu reponantur. In extremis aliis & in cauda rectis lineis æquidiſtantibus procedunt per longitudinem maculæ. Inter gallum & gallinam vix diſcernes, tanta eſt ſimilitudo, niſi quòd gallinæ caput totum nigrum eſt. Vox illi eſt diviſus ſibilus, non ſonorior, non major voce coturnicis, ſed ſimilior voci perdicis, niſi quòd ſubmiſſior ea eſt, nec ita clara. Curſu velox eſt.

De Morinello.

Morinellus, avis nobis cum Morinis communis, ſtulta admodum eſt, ſed in cibis delicata, eoque apud nos in ſummis deliciis atque pretio eſt. Imitatrix avis eſt. Ideo, ut Scops & Otis ſaltandi imitatione, ita hæc noctu ad lumen candelæ

pro

pro capientis geſtu capitur. Nam ſi is expandit brachium, extendit & illa alam; ſi is tibiam, & illa itidem. Breviter quicquid gerit auceps, idem facit & ales. Ita humanis geſtibus intenta avis, ab aucupe decipitur, & rete obvelatur. Avis parva eſt, magnitudine Sturni, tribus tantum digitis anterioribus, poſteriori nullo, vertice nigro, genis candidis, coturnicis ferè colore, ſi cinericei parum admiſceas, potiſſimùm circa collum. Morinellum voco duplici de cauſa, & quòd avis eſt apud Morinos frequentiſſima, & quòd avis ſtolida eſt, quæ ſtultitia græcis μωρότης dicitur. Eam ob rem noſtri etiam Doterellum vocant, quaſi ſtultitia delirantem dicant.

De Puphino ſive Pupino.

Eſt avis quædam marina noſtras, parvi anatis (quam βίσκαδα Græci vocant) magnitudine & figura corporis, pedibus palmatis & rubeſcentibus, ad poſteriora magis poſitis quàm cæteris palmipedibus exceptis pygoſcelibus; roſtro tenuiore ma-

gis latitudine ſe demittente quàm longiore proceſſu ſe extendente, quatuor inciſuris rubris a ſumma, duabus ab ima parte ſulcato, in colore pallentis ochræ. Quod inter has & caput eſt, ſubcœruleum eſt, & ea figura qua luna eſt, cum exacti dies decem ſunt a coitu. Per ſumma corporis totius nigreſcit, niſi qua oculi ſunt, qui in albo conſtituti ſunt; per ima exalbeſcit tota, niſi ſummo pectore, qua nigricat. Vivit ex mari. Hunc noſtri Puphinum dicunt, nos Pupinum a naturali voce pupin. Latitat in cavernis, ut Charadrius. Eam ob rem educta e cuniculi cavea avis hæc eſt, loco non procul a mari poſito, a venatore quodam immiſſa viverra. In piſcis uſu apud nos eſt in ſolenni jejunio per quadrageſimam; carne & guſtu Phocæ marinæ haud diſſimilis. Gregale animal eſt, & ſua habet latitandi tempora, ut Cuculus & Hyrundo. Ova parit in terræ cuniculis bina magna ex parte. Alis non confidit niſi conſpecto mari. Pigrum videtur animal, ſed injuriæ patiens. Veſcitur carne lubentius quàm piſce, & cuni-

culi

culi quàm alterius animalis, ſed utroque crudo; cocta & aſſa reſpuit. Cætera non attingit humana edulia. Æſtate ſe lavat, ſed nunquam, quod obſervatione deprehendi poteſt, bibit; an quòd aqua marina carebat, neſcio. Excrementum alvi illi eſt quale accipitri. Cum non eſſet quod ederet, cibum voce naturali geminata & ſummiſſa, pupin, pupin clamitando, implorabat. Alebam domi meæ ad menſes octo. Mordebat lubenter miniſtrantes cibum, aut attingentes, ſed benignius atque innocentius. Exiguo cibo ſatiatur. Non enim vorax avis eſt ut Corvorans noſter, quem tu (Geſnere chariſſime) corvum aquaticum & mergum recte nominas, noſtri Cormorantem corruptè dicunt, neſcientes ex vocis etymo corvum vorantem appellari debere. Quod naturaliter facit, cum illi a natura unicum tantum inteſtinum ſine elice (ut aiunt) rectum ſit conceſſum, propter vehementiam caloris naturalis citiſſimè abſumentis quæ aſſumuntur omnia.

Corvorans ſeu Mergus.

De Spermologo ſeu Frugilega.

Spermologus noſter a cornice nigra nulla in re differt, niſi morum innocentia, προλίβῳ ſeu ingluvie, qua granum legendo continet, ut ad ſuos referat; eſt enim gutturoſus; albo callo, qui in ſummo roſtro eſt ad caput; & voce, quam habet gutturalem & raucam. Unde forſan noſtris, quibus nomina rerum multa Latina ſunt & Græca, (uti libro noſtro de ſymphonia vocum Britannicarum diximus) rouce dicitur, quaſi rauce Anglis, raucus Latinis ſit dicendus; victu quoque a corvo differt, quòd frumento, hordeo, & cætero ſemine (unde nomen σπερμολόγος invenit apud Græcos) veſcitur. Veſcitur & vermibus, ubi frugis frumentique copia non eſt. Hinc ruſtici noſtri dubitant major ne ſit ex eis utilitas agris dum legunt vermes, frugis & ſementis peſtem, an inutilitas hominibus dum vorant granum, hominis nutrimentum. Tanta tamen multitudo eſt, ut legibus condemnentur; innocens alioqui avis atque utilis.

Agricolis enim teneri adhuc ex nido in cibo ſunt. Non niſi excelſis arboribus, idque ſocietate quadam numeroque nidificant, cohabitant, & conſidunt.

De Sacropſittaco.

Pſittacorum plura eſſe genera obſervavi. Quidam enim puſilli, magnitudine videlicet turdi, toto quidem corpore virides ſunt, ſed caudam longam atque gracilem, & eam aut flavam, viridem, aut puniceam habent. Quidam rurſum grandes ſunt admodum, cornicis magnitudine, ex toto punicei ſeu rubri, niſi ſub imo ventre, extremis alis, & extima cauda, quibus partibus cum cœruleo vireſcunt. His roſtrum eſt magnum, cavum, pellucidum, & adunicum, medio tantum ſui pallidum, utroque extremo ex parte nigrum, ut & inferior maxilla tota nigra, cujus cavitatem lingua dura & nigra cæterorum Pſittacorum modo & forma occupat. Utrinque genæ, in cute rugoſa, figura ferè triangulari obtuſa, candicant, rubris mollium pennarum ordinibus æquidiſtanti parallelo

De Spermologo ſeu Frugilega.

Spermologus noſter a cornice nigra nulla in re differt, niſi morum innocentia, προλίβῳ ſeu ingluvie, qua granum legendo continet, ut ad ſuos referat; eſt enim gutturoſus; albo callo, qui in ſummo roſtro eſt ad caput; & voce, quam habet gutturalem & raucam. Unde forſan noſtris, quibus nomina rerum multa Latina ſunt & Græca, (uti libro noſtro de ſymphonia vocum Britannicarum diximus) rouce dicitur, quaſi rauce Anglis, raucus Latinis ſit dicendus; victu quoque a corvo differt, quòd frumento, hordeo, & cætero ſemine (unde nomen σπερμολόγυ invenit apud Græcos) veſcitur. Veſcitur & vermibus, ubi frugis frumentique copia non eſt. Hinc ruſtici noſtri dubitant major ne ſit ex eis utilitas agris dum legunt vermes, frugis & ſementis peſtem, an inutilitas hominibus dum vorant granum, hominis nutrimentum. Tanta tamen multitudo eſt, ut legibus condemnentur; innocens alioqui avis atque utilis.

Agricolis enim teneri adhuc ex nido in cibo ſunt. Non niſi excelſis arboribus, idque ſocietate quadam numeroque nidificant, cohabitant, & conſidunt.

De Sacropſittaco.

Pſittacorum plura eſſe genera obſervavi. Quidam enim puſilli, magnitudine videlicet turdi, toto quidem corpore virides ſunt, ſed caudam longam atque gracilem, & eam aut flavam, viridem, aut puniceam habent. Quidam rurſum grandes ſunt admodum, cornicis magnitudine, ex toto punicei ſeu rubri, niſi ſub imo ventre, extremis alis, & extima cauda, quibus partibus cum cœruleo vireſcunt. His roſtrum eſt magnum, cavum, pellucidum, & adunicum, medio tantum ſui pallidum, utroque extremo ex parte nigrum, ut & inferior maxilla tota nigra, cujus cavitatem lingua dura & nigra cæterorum Pſittacorum modo & forma occupat. Utrinque genæ, in cute rugoſa, figura ferè triangulari obtuſa, candicant, rubris mollium pennarum ordinibus æquidiſtanti parallelo

rallelo inductis, & alicubi etiam ſine ordine. Oculus parvus, & in albo cilio cuticulari conſtitutus, pupillam habet nigram, quam circundat aureus circulus. Digitos habet quatuor ita efformatos, ut videatur natura voluiſſe omnes anteriores feciſſe, retorſiſſe tamen duos in averſum firmandi corporis cauſa. Hos Braſilia mittit, quos propter inſignem magnitudi-

Sacrum. nem Sacropſittacos nominamus. Veteres enim, quod præclarum magnumque erat, ſacrum dicebant. Ut ſacrum os, ſacram anchoram, ſacrum falconem, quem hierofalconem dicunt, ſacrum piſcem, ἱερὸν μένος, ſacram famem, & ſacrum morbum. Hujus generis imaginem, quam a nobis accepiſti, ſubjunge. Cæteros inter hos magnitudine medios aliæ regiones, ut inſula Hiſpania, Ægyptus, & India ferunt, ſed colore vario. Alii enim toto corpore cinereo caudas habent fultas, breviores & puniceas, in extremoque lunares. Alii ex toto virides ſunt. Alii cum corpore vireant, cauda longa flaveſcunt. Mores habent omnes ſimiles, & victum communem,

nem, niſi quòd Sacropſittacus pane bera macerato, carne, & piſce etiam veſcatur.

De Corvis albis.

Anno Domini 1548. Auguſto menſe, corvos duos candidos ex eodem nido vidi & contrectavi iſtic in Cumbria noſtræ Britanniæ, apud ejuſdem provinciæ comitem nativos, atque ita ad aucupium factos ut accipitres. Nam & brachio falconarii quietè inſidere, & ſoluti ad ejus vocem atque ſignum vel e longinquo quàm celerrimè advolare docti erant. Hos nihil eſt infauſtum conſequutum, ut albas illas hirundines, de quibus Alexander Myndius apud Ælianum. Nam qui corvum album notat, colorem notat; ut qui urſum album & vulpem nigram; quorum utrumque vidimus ex Moſcovia iſtic in Britannia. Quanquam vulpem nigram non queo dicere, etſi vulgus nigram vocet; ſed potius fuſcam, aut obſcurè griſeam reliquo corpore. Nam genas atque tibias tantum fuſcas habet, clunes atque caudam.

Urſus albus.

Vulpes nigra.

Expletis jam quæ de volatilibus ad te ſcripſi, mi Geſnere, ſuo ordine piſces conſequuntur.

De Xiphĭa ſeu Gladio.

De piſcibus.

XIphiæ igitur piſcis ſummam roſtri partem tantum, quæ gladio ſeu enſi militari ſimilis eſt, ad naturale roſtrum tibi depinximus. Ima enim roſtri pars, oculus, & reliquum caput, vetuſtate abſumpta ſunt. Pars illa roſtri ſuperior tota oſſea eſt & dura, reliquoque corpori longitudine par, ut Ariſtoteles tradidit. Sicca etiam illa noſtra eſt. Superficie ſua ſumma & extima leviter aſpera eſt; intima & prona, lævior. Componitur ex duobus oſſibus, quæ ab ultimo ſuo fine mucronato ad caput uſque ita conjuncta ſunt, ut unum quid eſſe toto proceſſu videantur. Ubi ad caput perventum eſt, paulatim ſe dividunt & diducunt, ita ut ſuperior pars ad cranium conficiendum latius aſſurgat; altera palati os facit, rectoque ductu à lato in acutum tendit, pari cum ſuperiore longitudine. Medium rictum & hiatum inter

ter utrumque os bona ſua parte occuparunt cerebrum atque oculi, quæ jam vetuſtate deleta & conſumpta ſunt. Reliquum adhuc occupat in modum cunei materia quædam ruffa, carioſa, pinguitudine quadam unctuoſa, etiam in tanta vetuſtate, medio modo ſe habens inter durum & molle, friabilis, ita ut digitis facile deteratur, materiei illi carioſæ, quæ in ſalicum putredine viſitur, non abſimilis, intertextis quibuſdam membranulis continentiæ cauſa. Æque & ea parte qua ſe findere occipiunt, oſſi ſuperiori incumbit media ſua parte alterum os tenue & mucronatum, eo modo quo vaginis gladiorum incumbit altera ad cultrum excipiendum vaginula. Ab eo mucrone ad extremum roſtrum, in medio latitudinis ſuæ ſpacio, ſulculus quidam eſt, uti in multis enſibus ferreis videre eſt. Utrinque ejus ſulci, leviter in ſummo decurrit ad ultimum ferè mucronem alter ſulculus, ſed non ita altè impreſſus aut excavatus, ut eſt medius ille. In intima ſeu prona ſua parte ſuturam quandam habet in media latitudine,

latitudine, per omnem longitudinem leviter ſe attollentem. Conſpicua tamen hæc non ita ſunt, niſi in ſicco roſtro, propter περιόστεον & cutem, quibus obducuntur adhuc recentia, ut in hoc noſtro quantumvis ſicco quibuſdam in locis, maximè ubi ſe dividit, apertum eſt. Gladius ipſe ſine pelliculis colore eſt obſcurè pallido. Unde tamen diviſio illa incipit, ſemper eſt nigrior unctuoſitate materiæ, quæ in ipſo rictu inter os utrumque continetur. Longum eſt os illud noſtrum (quod parvi Xiphiæ roſtrum videtur eſſe) a fine ad ſummum capitis, pedes Romanos tres & ſemiſſem. Sed ad hiatum (quo tenus gladii militaris figuram refert) pedes duos, palmos tres. Pendit libras tres, uncias duas, annoſum jam & ſiccum.

De Maculone.

Anno 1555. Lynni, Norfolciæ oppidi in Anglia portuoſi, quod Antoninus in itinerario portum Lemanis nominat, in ſiccum a piſcatoribus eductus fuit piſcis hic maculoſus, rudi figura depictus, &

chartis impreſſis per omnem Angliam divulgatus, longuſque amplius pedes 60. carne pingui, clara, & candicante, guſtus ſuavitate cervinam referente. Nomen noſtrates neſcivere piſcatores, nos Maculonem a notis vocitemus.

De Aſpredine.

Aſpredo fluvialis piſcis eſt, toto corpore aſper, pinnis ſpinoſus, Percæ forma & magnitudine, colore per ſumma fuſcus, per ima cum pallore flavus; duplici per maxillas ſemicirculorum ordine notatus, oculo ex dimidio ſuperiori fuſcus, ex inferiori ſubaureus, pupilla niger; linea per dorſi longitudinem exporrecta, & veluti filo tranſverſo corpori affixa ſingularis; notis per caudam atque pinnas nigris maculoſus, quæ pinnæ, cum ira ſubeſt, inhorreſcunt; cum animi conquieſcunt, reſidunt. Caro Aſpredini quæ Percæ, & friabilitate & ſalubritate laudata. Locis gaudet arenoſis; & cum alibi in Britannia, tum præcipue in Hiero flumine (quod noſtrum Nordovicum alluens in Baradenum

latitudine, per omnem longitudinem leviter ſe attollentem. Conſpicua tamen hæc non ita ſunt, niſi in ſicco roſtro, propter περιόστεον & cutem, quibus obducuntur adhuc recentia, ut in hoc noſtro quantumvis ſicco quibuſdam in locis, maximè ubi ſe dividit, apertum eſt. Gladius ipſe ſine pelliculis colore eſt obſcurè pallido. Unde tamen diviſio illa incipit, ſemper eſt nigrior unctuoſitate materiæ, quæ in ipſo rictu inter os utrumque continetur. Longum eſt os illud noſtrum (quod parvi Xiphiæ roſtrum videtur eſſe) a fine ad ſummum capitis, pedes Romanos tres & ſemiſſem. Sed ad hiatum (quo tenus gladii militaris figuram refert) pedes duos, palmos tres. Pendit libras tres, uncias duas, annoſum jam & ſiccum.

De Maculone.

Anno 1555. Lynni, Norfolciæ oppidi in Anglia portuoſi, quod Antoninus in itinerario portum Lemanis nominat, in ſiccum a piſcatoribus eductus fuit piſcis hic maculoſus, rudi figura depictus, &

chartis impreſſis per omnem Angliam divulgatus, longuſque amplius pedes 60. carne pingui, clara, & candicante, guſtus ſuavitate cervinam referente. Nomen noſtrates neſcivere piſcatores, nos Maculonem a notis vocitemus.

De Aſpredine.

Aſpredo fluvialis piſcis eſt, toto corpore aſper, pinnis ſpinoſus, Percæ forma & magnitudine, colore per ſumma fuſcus, per ima cum pallore flavus; duplici per maxillas ſemicirculorum ordine notatus, oculo ex dimidio ſuperiori fuſcus, ex inferiori ſubaureus, pupilla niger; linea per dorſi longitudinem exporrecta, & veluti filo tranſverſo corpori affixa ſingularis; notis per caudam atque pinnas nigris maculoſus, quæ pinnæ, cum ira ſubeſt, inhorreſcunt; cum animi conquieſcunt, reſidunt. Caro Aſpredini quæ Percæ, & friabilitate & ſalubritate laudata. Locis gaudet arenoſis; & cum alibi in Britannia, tum præcipue in Hiero flumine (quod noſtrum Nordovicum alluens in Baradenum

Hiermouth. num æſtuarium ad Hieri oſtium, oppidum tum piſcatu tum portu celebre, illabitur) frequens eſt. Noſtri Ruffum vocant; quod cum Latinis aſperum ſignificet, Aſpredinem piſcem nominavimus.

De Variata.

Variata piſcis eſt marinus, illuſtris, aureus & reſplendens magis, verſicolor tamen, ut ſi multo colori aureo & ſplendeſcenti exiguum purpureum admiſceas. Is color prout ad ſolem in hanc aut illam partem verſes piſcem, ita alius atque alius eſt, ut in collo Columbino; unde piſci Variatæ nomen dedimus, ea analogia, qua aurata dicimus. Magnitudine & forma eſt alburni, cute & carne Percæ. In Auſtrali noſtræ Britanniæ mari plurimus, inter ſcopulos atque ſaxa frequens. Ipſe menſe Julio anni 1555. captum vidi in naſſa, & contrectavi, per ſerenitatem & tranquillitatem animi gratia exſpatiatus in mare in ſcapha piſcatoria ad mille paſſus, videndi cauſa urbis reliquias quam mare in inſula Selſey abſorpſerat, & ludentem

colore

colore naturam ſuſpexi. Mortuo marceſcit color, & ad pallorem degenerat.

De Trachuro.

Trachurus figura corporis ſcombro eſt ſimillimus, ut vix internoſcas, niſi ad caudam uncinis (unde Trachuri nomen habet) & linea ab uncinis ad ſummas coſtas, atque inde ad caput, producta. Noſtri an Horſefiſh, quaſi caballinum piſcem dicas, nominant. Sed unde, aut qua ratione, nondum video, cum nihil cum equo habeat commune; neque in numero magnorum piſcium eſt, quos Horſefiſhes ſubinde nominamus, ſumpta ex Græcis ratione, qui ut grandia in compoſitione Hippos vocant (ut Hippoſelinon, Hippomalachen, & Hippomarathron) ita noſtri in compoſitione Horſe vocitamus, ut Horſeminte, Horſemuſcelles, hoc eſt mentaſtrum, ſeu mentham caballinam, & mytulos caballinos, ſeu hippomytulos: uti latius in libello noſtro de ſymphonia vocum Britannicarum explicuimus. Cor illi triquetrum eſt, & caryophyllo aromatico ſimile,

injecta

injecta veſicula. Non vulgaris apud nos eſt piſcis, pretiive vilioris.

De Acu.

Acus item apud nos non vulgaris piſcis eſt, niſi circa phanum Botulphi, quod noſtri Boſton, quaſi Botolphes Toune diceres, nominarunt, ubi veneunt ſeni in denarios. Cor habet ut Trachurus, & ei incumbentem ampullæ ſeu phialæ modo erectam veſiculam, orificio cordis fundo ſuo inſidentem. Siccus piſcis eſt & veſcus, ſed carne dura ſiccaque ut ſcombri. Hornebeke noſtri dicunt, a corneo quod habet roſtro.

De Cerco.

Appulit littori noſtro Britannico piſcis grandis inter Caletum & Dovarium rete piſcatorio captus decimo ſexto die Junii, anno 1569. quem ego Londini vidi 22. die ejuſdem menſis & anni. Magnitudinis Delphini erat, corpore tereti ut Delphino per omnem longitudinem, ſed cauda ex toto lata, & quibuſdam impreſſionibus

bus exornata, colore univerſo obſcurè murino, niſi quòd in imo ventre candicabat. Britanni & Hiſpani Cherke appellant, a caudæ (reor) longitudine & miraculo. Nam κέρκος Græcis, cauda eſt Latinis. Idcirco latinè Cercus recte dici poteſt. Verum quemadmodum Delphinis lævis cutis, ſic Cercis aſpera eſt, ut eſt hominis mentum raſum: Corium undique diceres, ut eſt Delphinis. Pinnæ quoque fuſcæ & coriaceæ, duræque ut Delphinis, & eæ ex utroque latere binæ; in dorſo duæ, anterior major, poſterior multo minor; & in extremo ventre paulo ante caudam una parva. Coſtas nullas habet; ſpinam tantum (ſed non oſſeam) univerſum corpus perreptantem. Inteſtina pro magnitudine exigua, & ferè jejuna, hepar grande. Anteriores dentes habet duplices; maxillares utrinque alternatim duplices atque triplices, ex quibus intimus recurvatur in adverſum tenacitatis cauſa. Longitudo corporis a nare (quæ ultra os ſe profert obtuſius) ad caudam, pedes Romani ſeptem ſunt; longitudo caudæ, ſeptem

tem cum ſemiſſe. Ambitus corporis, qua majus eſt, pedum quatuor, & palmorum trium. Caudam falcem eſſe diceres; cujus falcatæ pars inferior tenuis eſt ut acies; ſuperior craſſior, ut falcis ſpina ſeu dorſum. Tota lata eſt ut falx. Ubi corpori committitur, lata pinna eſt. Inde cauda incipit, & falcis ſimilitudinem accipit. Eſt enim velut falcis calcaneus. Hinc cauda in proceſſu ad extremum ſui coacta in anguſtius eſt. Recurvatur ad inferna non ſuperna. Corpori caro eſt, qualis Salmoni, & veſca, ſed non uſquequaque grata palato. Parit animal.

De Chryſophry.

Chryſophrys etſi rarus eſt in aliis Angliæ partibus, in aliis tamen circumflui maris noſtri rarus non eſt, maximè occiduis. Id quo tibi innoteſcat, quòd Gillius tradat in mari noſtro eos non eſſe, ex noſtris vivam unius imaginem, graphice depictam, atque ad naturam exornatam miſimus, quem noſtri ab aureo colore ſuperciliorum, Dory, quaſi auratam dicere,

res, appellant. Vocant etiam Bramam marinam ob ſimilitudinem corporis quam habet cum Cyprino lato. Miſimus etiam ejus piſcis dentes & maxillas, raras certè & ſpectatu dignas. Addidimus & deſcriptionem ejus, quam mihi ipſi non aſſervavi, quòd ſemper cauſas tuas præferebam, ut nec multa alia quæ ad te miſi. Tu ſi habeas adjunge, una cum icone & dentibus penicillo expreſſis. Lupi quoque marini caput, quod ad te dedimus, propter dentium ordinem, figuram atque numerum in ſummo palato & imo ore, & conchas ſtriatas noſtræ Britanniæ, quas miſimus cum conchis ſeu margaritis fœtu ſuo, etiam excudito & publicas facito, mi Geſnere.

Lupus marinus.
Conchæ.

De Delphino.

Delphinum, Shorhami in Suſſexia Britanniæ captum, vidimus integrum Londini menſe Decembri 1569. Curru enim advectus fuit ad Thomam Norfolciæ ducem, qui diviſit, & amicis diſtribuit. Longè gratior ejus caro fuit veru aſſa, quam

furno cocta. Maximè, ſi ex condimento phocænæ carni accommodato, ex aceto, micis panis ſimilaginei, atque ſaccharo compoſito, comedatur. Id uſu deprehendi. Caro ejus, phocænæ carni eſt ſimillima, niſi quod clarior & guſtui gratior eſt. Cor habet Porcino ſimile, ut & hepar & pulmones, niſi quòd triplo grandiores ſunt. Incurvum animal non eſt, uti a multis pingitur, ſed rectiſſimum & teres, a capite utrinque ſenſim gracileſcens ad extrema. Niger piſcis eſt, niſi in ventre quo candicat. Cutem corium eſſe dixeris læviſſimum, & corpus univerſum contegens, & pinnas obvelans. Bellonius ejus iconem rectius expreſſit penicillo, quàm alius quivis qui piſcium hiſtoriam ſcripſit. Cæterorum figuris ita ſpecies inter ſe conveniunt, ut hyæna lupo, quæ ut lupo non abſimilis, ita nec omnino ſimilis eſt. Phocæna non erat, quam noſtri Porpoſe nominant, dicturi Porcpoiſe & contracte Porpoiſe, a porco piſce, ut in libro noſtro de ſymphonia vocum Britannicarum dicemus. Nam licet eam Delphino ſimilem

ſcribat

ſcribat Ariſtoteles, & Delphini eſſe ſpeciem, tamen minorem dicit, & colore magis cœruleo, & ampliori dorſo. At hujus Delphini longitudinem decem fuiſſe pedum conſtat, & colore nigro. Alterum ejus generis in Rubicone Italiæ vidi trajiciens flumen, anno Domini 1543. Cujus tanta erat natandi ſub aqua celeritas, ut ſi jam prope eſſet, mox quàm longiſſimè abeſſet. Id quod ex eo deprehendebamus, quòd reſpirationis gratia ſubinde ex aquis proſilire cogebatur. Ad eum modum eundo ac redeundo tanquam ludibundum ad naucleri ſibilum (nam muſica delectari creduntur) diu contemplati ſumus qui trajiciebamur. *Rubicon.*

De Cerucho.

Ceruchus piſcis grandis eſt, Cerci aut Phocænæ ferè magnitudine, ore pro quantitate corporis, dentium ordine triplici munito. In ipſis faucibus penitius etiam dentes ſunt acuti & frequentes; & tubera utrinque tria, dura, & dentata, ſeparata quidem, ſed juxta ſe ordine tamen poſita;

oculi pupillam circundat lacteus circulus. Color universo corpori, qui asino nostro, quem coddum nostri vocant, ut & caro similis. Utramque maxillam duæ cartilagines faciunt, quarum utræque alteris, qua coeunt, committuntur, ut coalescant per symphysim & in ipso mento, & in maxillæ superioris medio. Ex his inferior barbulis quibusdam foris per oras undique pendulis duplici ordine per intervalla ornatur. Superior tuberibus atque spiculis inæqualis conspicitur. Etenim quæ eam constituunt cartilagines duæ, in summo labro qua coeunt recurvatæ, duo sustinent tubercula obtusa, non multum prominentia, digitali ferè crassitudine. A quibus unciali latitudine cum semisse e genis prosiliunt spicula utrinque duo, non multum extantia, sed humilia. Inter hæc e medio capite assurgit corniculum, longitudinis palmi unius & semissis, crassitudinis pollicis majoris. Post id non magno intervallo prominent cornua duo majora, dura, nigra, erecta, & acuminata, sesquipedali quidem longitudine, sed brachii septennis

tennis pueri craſſitudine: a quibus nomen Ceruchi dedimus animali, alioqui incognito. Ab his alia cornicula ſeu ſpinæ per omnem dorſi longitudinem certis intervallis diſponuntur ad caudam, eo minora, quo longius abſunt a capite; eoque majora, quo propius accedunt. Caudam habet cutaneam, non abſimilem alæ Veſpertilionis, ſed craſſam; ut & pinnas duas anteriores, quæ e ſcapulis pronaſcentes ut brachia curta, in extremis dilatantur in membranam craſſam, coſtis quibuſdam oſſeis numero viginti tribus e brachio enatis & per oras acutis inſtratam, ut fit in alis veſpertilionum. Statim a capite, utrinque branchias faciunt exiles coſtæ quinque ad pinnas ferè productas. E ventre enatas tibias videbis, & inde pedes duos cutaneos, craſſos, & in digitos quinque diviſos, ſed unguibus orbatos, membraniſque craſſis per intervalla digitorum repletos, per ſumma læves, per ima hirtos. Cauda & pinnæ expanſæ formam habent ferè ſemilunarem, in extremis aculeatæ. Ceruchus ſevo & pice nuper uncti Carbaſi

seu naviculæ delectatus secutus eam est ad littus Britannicum inter Lestofte & Pakefeld in Suffolcia, & destitutus recedentis maris unda in sicco relictus est, & a Lestoftensibus anno Domini 1570. mense Februario interfectus. Cujus caput aqua madidum, ne in rugas præ siccitate contrahatur, ad nos allatum est Londinum, una cum figura piscem referente naturaliter, mense Maio ejusdem anni. Vidimus & contrectavimus, depingique curavimus, addito reliquo corpore ex figura ad vivum efformata. Moribus esse implacidis retulit is qui spectandum proposuit, & sine intestinis, natura uno contenta stomacho, sineque excrementi foramine; quod rarum est, si verum est.

Atque hæc quidem de piscibus; jam ad stirpes transibo. Quæ quia paucæ sunt, longum negotium non facessent. Neque enim de omnibus, sed de iis quas ad te (mi Gesnere) dedimus, scribere proposuimus.

De Scapo granorum paradiſi.

SCapus granorum paradiſi inſtar ſcapi eſt papaveris, niſi quòd in ſummo concluſus eſt, quòdque major eo eſt, Pyri videlicet mediocris magnitudine, colore dactyli, apice a cætero corpore circulo quodam diviſo. In eo ſcapo magna granorum copia eſt, ut in papavere, aut malo Granato. *De ſtirpibus.*

De Palmite.

Palmites planta eſt radice lignoſa, multo ſingulari ſurculo, & eo lignoſo, abſectoque in hac figura Palmitis; ſed cui tamen ſingulo folia vireſcunt plura, gladiolo non abſimilia, ordine propter ſe poſita. Summa radix, cum ſe e terra effert, varia veluti carice, intus pallida, per extremitates ruffa veſtitur, in coni formam. Omnem caricem filamenta quædam inſtar retis contexta ambitu ſuo comprehendunt. Inter carices cavus quidam ac pallidus gladiolus hinc inde latet. In eo Palmitis ſemen continetur. Id arboris denſi figuram

refert, ramis undique milio veſtitis. In Hiſpania naſcitur, Hiſpanis, tenero adhuc aſparago, in cibis utilis. Venerem excitare creditur, palmiteſque nominatur. Apud divum Paulum Londini hujus Plantæ ramos, ſeu virgultas ſiccas, ut palmas geſtant ſacerdotes in feſto palmarum, palmas Hieroſolymitanas, ſeu Arabiæ deſertæ appellantes.

De Piſis ſponte naſcentibus.

Piſa in littore noſtro Britannico quod orientem ſolem ſpectat, certo quodam in loco Suffolciæ, inter Alburnum & Ortfordum oppida, ſaxis incidentia (mirabile dictu) nulla terra circumfuſa, autumnali tempore anni 1555. ſponte ſua nata ſunt, adeo magna copia, ut ſuffecerint vel millibus hominum.

De Ilice.

Ilex grandis arbor eſt & patula, quanta Pyrus, foliis planè Agrifolii, mari aculeatis, fœminæ ſine aculeis. Glandem fert, ut quercus, fœmina. Utriuſque generis

neris unam vidimus in Britannia, marem in horto Paryſino in ripa Tranſthameſina, fœminam in horto Regio Weſtmonaſterii. Folium ei pingue eſt: Ideo ſemper viret. Quam ob rem Greine tre verbo Germanico nomen invenit apud nos, qui alienis quàm noſtris magis delectamur. Alioqui Grene tre diceremus, quòd grene apud nos idem eſt quod viride apud Latinos, & greine apud Germanos. Plantam ad te, Geſnere, miſimus, ut inter tua de ſtirpibus exprimas.

Sed hæc abunde de animalibus atque ſtirpibus raris ad Geſnerum cum ſuis iconibus, quas omnes ille expreſſit in libro ſuo de iconibus cum deſcriptionibus noſtris noſtro nomine, præterquam Tragelaphi, Buculæ cervinæ, ovis latæ caudæ, Saguinæ noſtræ, Cercopitheci varii, Picæ marinæ, ſcapi granorum paradiſi, Palmitis & Ilicis, quæ ab edito libro de hiſtoria animalium, & libro de iconibus ſeu figuris miſimus. Cercum, Delphinum, & Ceruchum, a morte ejus inter raros piſces retulimus, quòd non niſi poſtremis annis

annis in noſtram poteſtatem inciderint; alia addituri prout ſe nobis offerent, una cum figuris. Hæc interim.

Joannis Caii de rariorum animalium atque ſtirpium hiſtoria libelli finis.

JOANNIS

JOANNIS CAII
BRITANNI
DE
LIBRIS SUIS,
LIBER UNUS.

JOANNIS CAII BRITANNI

DE

Libris propriis liber unus.

Ad Thomam Hatcherum.

SUADEBAT Annis ſuperioribus (mi Thoma chariſſime) inſignis ille vir Conradus Geſnerus, ſempiterna memoria dignus, ut quæ a me ſcripta eſſent omnia, eorum ad ſe catalogum paucis conſcriberem. Scribebam quidem ut votis ejus reſponderem, ſed paucis admodum & jejunè, quòd cauſam voluntatis ejus neſciebam. Jam tu idem poſcis; & non poſcis tantum, ſed etiam per poſtremas tuas ea de re literas ita cauſam agis, ut exigere

exigere videaris. Multas enim rationes affers, & eloquentia tua urges graviter, ne videar hanc gratiam amicitiæ tuæ ſed cauſæ tribuere. Cum Londini ſim, interpellas; cum Cantabrigiæ, idem facis; nunc e propinquis, nunc e longinquis locis ejus rei memoriam refricas, ut omnino mirer quid in libro ſit, quod tibi placeat. Si de me loquar, ipſe certe non video quid in eo ſit quod tantopere deſideres. Si non ſit quod aliis tibique diſpliceat, ſatis juſta mihi ratio eſt cur tibi velim ſatisfacere. Et ſi ſit, modo non lædat, aliquid tamen voluntati tuæ, & amicitiæ noſtræ tribuendum cenſeo; quando ita libeat, atque quodam modo imperes. En ergo librum, quem flagitas! in quo, quando nulla ejus catalogi, quem ad Geſnerum ſcripſi, copia mihi ſupereſt, quem ad te darem, priora omnia repetam & retexam; quæque ab illis temporibus, quibus illa ad Geſnerum ſcripſi, commentatus ſum, addam atque aſſuam. Adjungam præterea occaſiones atque tempora ſcribendi, perſonarum atque rerum circumſtantias, & quibus locis

ſint

ſint excuſa quæ edidimus. Exprimam & nomina librorum quos ſcripſimus, traduximus, aut emendavimus, & argumenta magna ex parte omnia; obiterque ex occaſione mentionem faciemus de controverſiis anatomicorum; de morte clariſſimi viri Conradi Geſneri; de Bibliothecis Italiæ; deque pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ ex Græcorum, Italorum, Germanorumque ſententia & uſu. Eum librum de libris propriis ad te inſcribimus, quòd ipſe ejus ſcribendi & edendi author extitiſti. In quo eo ordine quoque proſequemur omnia, quo geſta ſunt. Ordiemur a primis annis.

Cum annum agerem alterum & viceſimum, atque adhuc Cantabrigiæ in noſtra Britannia ſtuderem, quò amicis meis gratificarer, & quid ipſe poſſem experirer, converti quædam de Græcis in Latinam, quædam de Latina in vulgarem linguam, quæ eorum inſtitutis, ad quos ſcribebam, accommodata mihi videbantur. Ad quendam enim amicum meum, Nicephori Calliſti Zanthopuli Græci libellum (in *Verſiones.*

exigere videaris. Multas enim rationes affers, & eloquentia tua urges graviter, ne videar hanc gratiam amicitiæ tuæ ſed cauſæ tribuere. Cum Londini ſim, interpellas; cum Cantabrigiæ, idem facis; nunc e propinquis, nunc e longinquis locis ejus rei memoriam refricas, ut omnino mirer quid in libro ſit, quod tibi placeat. Si de me loquar, ipſe certe non video quid in eo ſit quod tantopere deſideres. Si non ſit quod aliis tibique diſpliceat, ſatis juſta mihi ratio eſt cur tibi velim ſatisfacere. Et ſi ſit, modo non lædat, aliquid tamen voluntati tuæ, & amicitiæ noſtræ tribuendum cenſeo; quando ita libeat, atque quodam modo imperes. En ergo librum, quem flagitas! in quo, quando nulla ejus catalogi, quem ad Geſnerum ſcripſi, copia mihi ſupereſt, quem ad te darem, priora omnia repetam & retexam; quæque ab illis temporibus, quibus illa ad Geſnerum ſcripſi, commentatus ſum, addam atque aſſuram. Adjungam præterea occaſiones atque tempora ſcribendi, perſonarum atque rerum circumſtantias, & quibus locis

ſint

ſint excuſa quæ edidimus. Exprimam & nomina librorum quos ſcripſimus, traduximus, aut emendavimus, & argumenta magna ex parte omnia; obiterque ex occaſione mentionem faciemus de controverſiis anatomicorum; de morte clariſſimi viri Conradi Geſneri; de Bibliothecis Italiæ; deque pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ ex Græcorum, Italorum, Germanorumque ſententia & uſu. Eum librum de libris propriis ad te inſcribimus, quòd ipſe ejus ſcribendi & edendi author extitiſti. In quo eo ordine quoque proſequemur omnia, quo geſta ſunt. Ordiemur a primis annis.

Cum annum agerem alterum & viceſimum, atque adhuc Cantabrigiæ in noſtra Britannia ſtuderem, quò amicis meis gratificarer, & quid ipſe poſſem experirer, converti quædam de Græcis in Latinam, quædam de Latina in vulgarem linguam, quæ eorum inſtitutis, ad quos ſcribebam, accommodata mihi videbantur. Ad quendam enim amicum meum, Nicephori Calliſti Zanthopuli Græci libellum (in *Verſiones.*

quo explicat quemadmodum quis orando etiam confiteatur) ex Græcis in Latinum converti. Ad aulicum item, Chryſoſtomi de modo orandi Deum libellum; quòd non ita multus eſſe in oratione viſus eſt. Eraſmi etiam de vera theologia librum traxi in compendium alteri, qui ſacræ ſcripturæ lectionis ſtudioſus, non tamen quibus limitibus legendi aut intelligendi modum circumſcriberet, nec rationem tuto inveniret, ſcivit. Cœpit enim per ea tempora nova de religione perſuaſio iſtic in Anglia pullulare. Demum, Eraſmi paraphraſim in Epiſtolam ſancti Judæ converti alteri amico, cui ſtudium fuit ejus epiſtolæ. Hæc juvenis ſcripſi.

Commentarii in lib. Frammigami.

Poſt annos ſex quam hæc geſta ſunt, moriebatur Norwici anno Domini 1537. 29. die Septemb. annos natus 25, menſes 7, dies 6, familiaris noſter Gulielmus Frammigamus, concivis noſter, eiſdem ſcholis Nordovici, quibus nos, ab ineunte ætate doctus. Erat is homo tenaciſſimæ memoriæ, fœcundi ingenii, infinitæ lectionis, indefatigati laboris atque diligentiæ,

in aula Penbrochiana Cantabrigiæ per adoleſcentiam educatus, per juventutem in Collegium Reginale collega aſcitus; profeſſione Philoſophus, gradu artium magiſter, quem alii artium doctorem nominant; blandæ ſemper eloquentiæ juvenis, nihil non ſciens quod ad liberales ſcientias pertinebat (maximè Muſicam & Rhetoricam, in quibus erat inſignis) nihil quod ad Poëtas, Hiſtoricos, atque etiam Theologos (in utraque lingua Græca & Latina doctus) faciebat. Is moriens libros ſuos, quos per ætatem ſcripſerat, nobis commendavit. Scripſit autem octo. Ex quibus duos ſoluta oratione, eleganti ſtylo, de continentia ſcripſit; in quibus lupanaria, veneriſque mancipia gravibus verbis perſequitur; uſque adeo, ut ne Poëtas quidem, amoris profeſſores, admittat; libidinem condemnat, vitæ puritatem commendat; illius pœnas, hujus præmia proponit. Cæteros libros ſcripſit oratione ligata, ſed vario argumento. Etenim de conſolatione ad Æmilianum cæcum ſcripſit librum unum verſu Hexametro & Pentametro; quo ſe

conſolabatur adverſus infirmitatem oculorum, quam ex immodico ſtudio Cantabrigiæ contraxerat; exponens quæ commoda per cæcitatem conſequimur, quæ animi incommoda per eam devitamus. Poſt hunc quartus, Laurentius ſequitur, in quo divi Laurentii martyrium heroico carmine deſcribit, hoc argumento, ut ipſius hæc carmina docent.

Illius aggeſtis exuſta mapalia tædis,
Artificiſque dolos Decii, juveneſque furentes
Inſidiis canimus; fuerit quæ gloria noſtro;
Tum quibus infœlix Mezentius occubit umbris.

Quintus eſt, ἐκπύρωσις, ſeu incendium Sodomorum cœleſti igne, ob nefanda ſcelera & obſcœnam libidinem atque turpitudinem, verſu item heroico. Sextus, Idololatra, in quo notat carmine Choriambico gliconio eos, qui ætate ſua veri numinis honorem ad triſtia idola tranſtulerunt; hocque non ex ſacræ ſcripturæ arcanis & ſententia ſolum, ſed ex Poetarum etiam magis. Guloſos enim ventres colere

lere deos tradit; bibaces Bacchum; pugnaces Martem; libidinoſos Venerem; avaroſque Plutonem; ad eum modum perſtringens ſingulos prophanos deos atque gentilitios, eoſque affirmans ut deos colere & venerari humanum genus, a vero Deo vitiorum multitudine declinans & deficiens.

Septimum, Αρετὴν, hoc eſt virtutem, Græca voce nominavit. Ubi tradit virtutis vim & poteſtatem ad bonam vitam omnia poſſe, nulla adverſa virtutem de ſede deturbare, virtutem perpetuam eſſe nec finem habituram; nullis incendiis conſumi, nullis catenis contineri, nullo imperio domari, nullo hoſte lædi, juſtitiam conſervare, venerem pellere, temulentiam fugare, cætera vitia trudere, ejuſque ſedem in cœlis eſſe.

Octavus, Epigrammatum eſt; vario argumento atque carmine ſcriptus, in duos ad nos libros diviſus, quorum argumenta retexere longum eſſet. In hos omnes libros nos etiamnum juvenes ſcripſimus ſcholia atque commentarios; tum quòd obſcuriores erant illi, niſi doctis, propter

Poetarum fabulas, voces & ſententias, ſtellarum, temporum atque regionum circumſcriptiones, hemiſtichia, alluſiones & antonomaſias, rerum, ſcientiarum, argumentorumque varietates & figuras; tum quòd mihi ſemper fuit gratiſſimum etiam a juventute, veluti ſub aſpectum ponere, quantum in literis humanioribus per ea tempora, quantumque in aliis ſcientiis per inſequentia profecerim. Sed hi Commentarii, & illi libri poſtquam in Italiam profectus ſum, apud eos periere, apud quos in Anglia reliqueram, ſine ulla ſpe recuperandi, etſi rediens diligenter inquiſiveram, uſque in præſentem annum Domini 1570, quo hæc ſcripſeram. Menſe autem Aprili cum in menſa Reverendiſſimi Matthæi Cantuarienſis Archiepiſcopi de libris illis ſermo eſſet, Reverendus Edmundus Roffenſis epiſcopus unà accumbens, apud ſe in Bibliotheca ſua ſupereſſe, eoſque impreſſos, quantum memoria ſuppetebat, aſſeruit, pollicituſque eſt cum primo otio ſe daturum. Sed ut nondum accepimus, ita nondum excuſimus.

Inſtituimus etiam hiſtoriam Nordovicenſis noſtræ civitatis in Britannia orientali, cujus Cornelius Tacitus & Antoninus Auguſtus, antiqui ſcriptores, ille ſub Nordovici nomine, hic ſub Ventæ appellatione faciunt mentionem, decrevimuſque perſequi. Sed varia ſtudia, quibus diſtrahebamur in publicum & privatum uſum, progreſſum exitumque denegârunt; reliquo apparatu indigeſto apud nos adhuc extante. De futuro nihil auſim polliceri; ſed ſi fata volent, & otium dabitur, inceptum forſan proſequemur; ſi non ad exitum, ſaltem quoad poterimus. Quod ſi non poterimus, ſaltem guſtum ejus rei aliis dabimus in libro noſtro, quem de antiquis Britanniæ urbibus ſcripſimus. Interim ſatius eſſe ducimus de ea nihil dicere quam pauca ſcribere. *Hiſtoria urbis Nordovici.*

Atque hi primi noſtri libri ſunt. Secundos anno Domini 1542. exercitii noſtri cauſa juvenes adhuc in Italia luſimus, eoſque duos, quos de medendi methodo ex ſententia Galeni & Jo. Baptiſtæ Montani (præceptoris noſtri in medicina) inſcripſimus; *Methodus medendi.*

simus; quòd in eis libris conscribendis sequuti sumus ductum eorum virorum; ut Galenus atque Celsus Hippocratis, Oribasius atque Paulus Galeni, & Virgilius Homeri (quod Macrobius collatis locis luculenter docet) ut est nemo qui aliquem imitandum sibi non proponat; non penna tamen transcribentes singula, sed ratione subducentes universa, rerum, verborumque sanguinem & medullam, tanquam e testa nucleum eximentes, omniaque postea nostro modo explicantes paraphrasticôs. Etenim artificium tantum sequuti sumus atque sensum ex sententia, non sermonem simplicem & inconditum, non verba & sententias dissipatas ut est ipse prolocutus, etsi perdoctè quidem ille omnia. Verba expendimus non numeravimus. Is id facillimè intelliget, qui homo candidus & ingenuus utramque methodum & nostram & Montani (quæ hodie inter ejus opera seorsum extat, nec tum composita fuit) diligenter legerit, & materiem, ordinem, stylum & scribendi rationem diligentius expenderit. Quòd si quando alienis

nis rivulis hortulos noſtros irrigavimus, (ut ſe feciſſe gloriatur Cicero) ob id non erunt noſtri hortuli? Alioqui, ne Galeni quidem erunt libri quos ex Hippocratis ſententia ſcripſit, qui multi ſunt; nec tres illi de motu pulmonis & thoracis, quos Pelopis præceptoris ſui documenta continere dicit; nec unus ille de medicinali experientia, quem ex ſententia Pelopis & Philippi Empirici vel ſua confeſſione ſcripſerat. Etenim libro de libris ſuis ait, Pelopem cum Philippo Empirico diſputaſſe, Pelope medicinam ſola experientia conſiſtere non poſſe defendente, Philippo poſſe; ſeſeque, cum utriuſque rationes hinc inde habitas excepiſſet, atque in ordinem redegiſſet, exercitamentum quoddam ſibi ex eis conſcripſiſſe. Sed nec Epicuri libri erunt, quos ex Democriti fontibus hauſiſſe Epicurum Marcus Tullius tradidit. Nec Marci Ciceronis liber ille de univerſitate, quem magna ex parte ex Platonis Timæo ſuſtulit; nec officiorum illi, in quibus multum ſe Panætium ſecutum lib. 2. profitetur, nec ejus alia multa, quæ ex

Lib. de nat. deorum 1.

Xenophonte ad verbum penè decerpſerit. Quantum tamen eorum floſculis ſuos hortos vernari geſtiat & exultet, tanquam in re bene geſta, norunt qui legerunt. Nec propterea omittendum quantopere ad Atticum ſuperbiat, quod Iſocratis myrothecium in libros ſuos conſumpſerit. Imo neque Theophili Protoſpatarii de conſtitutione humani corporis opus in quinque lib. diſpartitum, Theophili erit, cum nihil aliud quàm epitome Galeni librorum de uſu partium ſunt. Nec Plauti aut Terentii comœdiæ erunt, quas ex Menandro & Apollodoro magna ex parte tranſtulerunt. Nec Pythagoræ, quæ a Zora Aſſyrio traxiſſe eum Alexander Polyhiſtor refert. Nec Homeri Poëma, quòd ex Sibylla Delphica (quæ de bello Trojano ante vaticinata eſt quàm evenit) verſus complurimos operi ſuo interſeruiſſe eum Bocchus manifeſtat. Nec Plinii naturalis hiſtoria, quòd in libro 16. ejuſdem operis, multa ex Boccho (ut fatetur ipſe) tranſtulit. Nec Livii 21. liber, quòd ex tertio Polybii ad verbum penè traductus eſſe videatur:

deatur. Nec Planudis multa, quæ Catonis ſunt; nec Eraſmi (ut ad recentiores veniam) apophthegmata, quæ ex Plutarcho, Athenæo, Xenophonte, & aliis congeſta ſunt. Quid multa, ne Cratonis quidem illa Methodus Therapeutica erit, quam ex ſententia Galeni & Montani ſe ſcripſiſſe ait; uſque adeo nemo eſt qui per omnia ſapit, qui omni ex parte ita ſibi confidat ſoli, ut non ſit opus Theſeo; nemo qui ex ſe ad omnia ſufficiat. Etiam Jupiter accerſivit Titanas in auxilium. Multo certè minus anatomica Oribaſii erunt, quæ Oribaſii nomine circumferuntur; cum ea ex Galeno ad verbum ferè tranſcripta ſunt. Etenim non ex ſententia tantum Galeni, ut nos, ſua ſcripſit, ſed univerſa penè ad verbum tranſumpſit. Nam primæ partis omnia ex adminiſtrationibus anatomicis Galeni ſublegit; cætera pars, univerſum prope librum de oſſibus, univerſam muſculorum & nervorum diſſectionem Galeni continet; ut eos, qui velint, integros propemodum inde petant. Quo nomine tamen tantum abeſt

ut

ut non putem esse suos (cum sua ex Galeno anatomica esse dicat) ut existimem eum magnam gratiam iniviſſe apud omnes, qui eos nobis conſervavit, quos & tempus & negligentia nobis hactenus ſuſtulerunt. Qua de cauſa decretum eſt, duos eos libros de muſculorum nervorumque diſſectione, cum primo otio ſeorſum edere. Et quanquam Montano tanquam præceptori meo, a quo multa didici, multum tribuam; nolim tamen ejus cauſa Galeno (ejus præceptori, cui acceptam tulit nobis audientibus omnem methodum) nobiſque factam injuriam. Nam ut plura a Galeno quàm a Montano accepta ſunt, ita quædam ex noſtra officina (ut de me modeſtius loquar) certè promanârunt. Quæ ſi quis qui eſt, aut fuit, aut eſt futurus nobis tollat, magnam certè nobis factam injuriam non injuſtè clamitabimus; multoque magis, quòd ex eorum ſententia magna ex parte ſcripta ingenuè confeſſi ſumus, & noſtras etiam commentationes eorum nominibus attribuimus. Hoc qui neſcit, libros eos per Hiero. Frob. & Nicol.

Anatom. muſculorum & nervorum Galeni.

col. Epiſc. Romana litera Baſileæ anno Domini 1544, menſe Maio primò excuſos legat. Sed interim ex accidenti id accedit noſtris libris de medendi methodo gratiæ, quod Galenum & Montanum ſpirare videantur, ne degeneraſſe videamur. Hi libri duo univerſalem tantum methodum continent. Quam ad exercitium particulare, & privatam medendi rationem perductam cernes in libris noſtris duobus de Ephemera Britannica; qui tibi methodi velut inſtar & exemplum erunt ſingulare, ſi ex methodo mederi ægris ſtudeas, ut certè debes. Qui autem Epitomas rerumque ſummas, atque capita rerum in breves ſummas digeſta, methodos vocant (ut Leonardus Fuchſius in Epiſtola ad Fabricium ante librum ſuum, quem compendium medicinæ rectè, methodum non rectè, nominavit) quid ſit methodus non videntur mihi intelligere, ut eorum pace dixerim.

Eodem tempore conſcripſimus commentarios etiam in Galeni libros Græcos περὶ ἐγχειρήσεων ἀναϛομικῶν qui extant novem, *In anatomica Galen. comment.*

vem, καὶ τὰς περὶ μυῶν κινήσεως duos, quos eadem opera in Italia caſtigavimus ad vetuſtum quendam librum, cujus mihi copiam fecit vir clariſſimus Lazarus Bonamicus per ea tempora humaniorum literarum Græcæ & Latinæ linguæ Patavii profeſſor publicus. Illi libro ad caſtigationem acceſſerunt notæ quædam Græcæ, ſed eæ paucæ, ex vetuſto libro Græco apud Juntas, per Auguſtinum Gadaldinum, hominem certè commodum & literatum, & prœli Juntani præfectum eo tempore, tranſumptæ, atque ad Andræam Veſalium (qui eadem communique mecum domo uſus eſt Patavii, nempe caſa de gli valli, ſeu ut Patavini loquuntur ca valle, appreſſo al Ponte della paglia, ad octo menſes, quo tempore libros ſuos de fabrica humani corporis ſcripſit & depinxit) in hoc tranſmiſſæ, ut ex eis Galeni libros anatomicos Latinos caſtigaret. Honeſta enim æmulatio illis diebus interceſſit inter Antonium Juntam, Auguſtinum Richum, & Victorem Trincavellium, de caſtigatiori omnium Galeni operum editione Latina.

Sed

Sed eæ notæ cum parum & Veſalio & mihi profuerunt, (erant enim maxima ex parte falſæ omnes) occaſionem dederunt diligentius alia exemplaria inquirendi. Inquirendo autem inveni aliud exemplar Beſſarionis Græcum in Bibliotheca ſancti Marci Venetiis, quod aliquot etiam locis juvit. Caſtigatis igitur novem illis qui ſuperſunt Galeni libris anatomicis, paratiſque in eos commentariis, in Angliam revertens, obiter excudendos curavi Baſileæ apud Hiero. Frob. & Nicol. Epiſcop. anno Domini 1544, una cum libris Galeni integris περὶ ἀνεμβαλλομένων, cujus bonam partem Paulus Ægineta in ſuum uſum converterat; unaque cum magna parte libri ſeptimi Galeni de uſu partium Græca; libro item primo περὶ τῶν Ἱπποκράτ[ου]ς καὶ Πλάτωνος δογμάτων Græco cum tranſlatione ejuſdem noſtra Latina; libro Galeni de comate Græco; & libro Hippocratis περὶ φαρμάκων Græco, non ante inventis neque excuſis. In fine libri περὶ φαρμάκων abundabat id quod Paulus Craſſus, ex præceptoribus noſtris in medicina unus,

Quæ Baſileæ excuſa.

unus, quintum caput fecit. Id nos quòd huc nihil pertinebat, atque ex lib. Hippocratis περὶ ὑπαρξεως ἰατρικῆς ad verbum desumptum sit, a studioso quopiam credo, qui multa in unum codicem congesserat, consulto negleximus, & omnino secludendum censuimus, ut qui velit, ex suo loco petat. Postquam in Britanniam venerim, nactus sum aliud exemplar, περὶ ἐγχειρήσεων ἀνατομικῶν Joannis Clementis Angli, probi viri & singularis medici, & alterum Thomæ Linacri, hominis præcellentis judicii, qui inter multa præclara opera Collegium Medicorum Londini anno Domini 1520. instituit, cujus nos Annales a Collegio condito scripsimus, & ad annum Domini 1565. ultimum præsidentiæ nostræ annum produximus. Præfuimus autem annos septem, quousque per ædificationem collegii nostri Cantabrigiæ licuit; quod inchoatum anno 1565. absolutum est anno 1570. Scripsimus etiam Annales Collegii Gonevilli Cantabrigiæ ab ipsis primordiis ad annum præsentem 1570. cujus argumentum leges in historia nostra Canta-

Jo. Clemens. Tho. Linacrus.

brigienſis Academiæ. Sed has hiſtorias in privatum utriuſque collegii uſum tantum ſcripſimus. Exemplaria Linacri & Clementis in publicum uſum conquiſivimus. Ex quibus multa noſtris caſtigatis addidimus in aliam editionem, quam una cum libris Galeni περὶ χρείας μορίων Græcis per nos emendatis meditatus ſum. Id eo ſtudioſius fecimus, quòd opus illud Galeni omnis generis hominibus neceſſarium & conducibile viſum eſt. Medicis quidem & Chirurgis, ut cognita ex his humana conſtitutione, quemadmodum his ferro, illis medicamento utendum ſit, uti ſecundo noſtro libello de medendi methodo diximus, ſcire poſſint. Philoſophis verò, quibus naturæ ſtudium eſt, ut hominis naturam, & naturæ in eo miraculum admirari diſcant. Cæteris omnibus, ut ſeipſos noſcant; quo non eſt alia jucundior contemplatio. Etenim tum ſeipſum quis probè noſcet, cum quas partes habeat, & eas quo modo conſtitutas atque inter ſe compoſitas noverit. Tantum id vehementer dolet, nemini adhuc viſos (quod

(quod intelligam) ex multis annis reliquos ejus operis Galeni libros. Magnam anatomicôn partem aliquando apud Antonium quendam Vicecomitem fuiſſe (in Italia credo) Ambroſius Calepinus in dictione medicina confitetur; ea videlicet editione, quæ Hagenoæ fuit anno Domini 1526. Auximus & commentarios noſtros in eoſdem, in quibus, inter alia, de ginglimo diximus, quòd aliena figura novi anatomici expreſſerunt; de intercepto cerebri diſtinguente non geſtante, quòd locus iſte lib. 9. Gal. anatom. depravata emendatione Veſalii legitur; & de muſculo Deltoeide, ἀγκυλῆς que nodo, ut loci intelligantur. Diximus etiam non eſſe decem abdominis muſculos (ut hi exiſtimant, qui ex ſola περιγραφῇ muſculos æſtimant; & exiguos illos ad finem inferiorem rectorum muſculorum appendices, duos ſtatuunt) ſed octo tantum cum Galeno & his qui numerum ex uſu officioque conſtituunt; eſſeque rectos muſculos (de quibus omnis controverſia eſt) tantum duos. Sed hæc in ſumma diximus, cauſas non adjecimus.

Abdominis muſculi octo tantum.

mus. Eas hic proferemus innixi Galeni fundamentis. Unumquemque igitur muſculum ex oſſe oriri & in os inſeri, cum Galeno dicimus. Id ideo eſt, quia trahit movetque oſſa, præcipua membrorum organa & fulcimenta. Neque enim caro ut moveatur largita eſt (id tamen per accidens ad motum oſſis cui adhæret patitur) ſed ut motus ſit inſtrumentum, membraque moveat, ſic ut in ſtatuis chordulæ. Nam paſſiva pars os eſt, activa caro, quæ a motu nomen habet muſculi, quaſi moviſculum diceres. Etſi non me fallit apud Græcos muſculum appellari μῦν, a figura muris, cui eſt ſimillimus, ſi pellem detrahas atque pedes. Attrahere movereque nihil poteſt, quod non utroque ſuo fine in aliquo firmetur, re videlicet ad quam attractio fit, & re attracta; illa ut ſtabiliatur, hac ut apprehendat aut adhæreat. Sic enim in membris fit attractio, ut cum homines per communem funem trahendo aut aliud quid, aut ſeipſos trahere certant, altero trahente, altero reſiſtente. Etenim utriſque neceſſum eſt ut

funis aut alligetur, aut ab utriſque tenaciter apprehendatur. Quod dum fit, violenterque trahunt, ut in hominibus infirmiorem firmior quo velit ducit, ſic in rebus pars tracta ſequitur, difficulter ſi gravis, facilè ſi levis fuerit; neque ſecus attractio poteſt fieri. Jam vero ſi muſculus firmari in aliquo oſſe (non uno dico ſed diverſo) utroque ſuo fine neceſſum habet ut moveat, ortu videlicet & inſertione, ut veteres anatomici recte docuerunt, nec carunculæ illæ muſculi erunt, quòd in os non inſeruntur, & duos tantum rectos muſculos eſſe conſequi par eſt, quòd uterque rectorum altero ſuo fine in oſſe pectoris, altero in oſſe pubis, tantum confirmatur. Unde conſequitur, ſi muſculi recti numero eſſent quatuor, quatuor quoque eſſent oſſa diverſa quibus alligentur. Quod cum verum non ſit (ſiquidem inter os xiphoeides & os pubis nullum intermedium os eſt ſed abdomen ſolum) nec verum eſſe poteſt quatuor eſſe rectos muſculos, ſed duos tantum, utrinque nempe unum. Verum ſi dixeris exiguos illos

Carunculæ ad radices rectorum non ſunt muſculi.

illos quos vocant muſculos id officii habere in movendo, quod in gravioris campanæ motu habent chordæ appendices, quæ principali chordæ annectuntur, nempe ut ſubſidiaria inſtrumenta ad motum ſint, negarem & id quoque, tum quòd non firmis nervoſitatibus, ſed infirmis διαφύσεσι, non oſſibus rigidis hinc inde, ſed ſequacibus carnibus altero ſuo fine adhæreant. Ut non addam eodem motu non movere eos (ſi moverent) quo recti, ſed adverſo. Nam rectorum muſculorum motus & attractio non eſt ad inferna, ſed ſuperna, capitibus ſublimè in pectore conſtitutis; caruncularum contra. Quo poſito, axioma eſt anatomicum, unumquemque trahere ad ſuum principium. Niſi cauſæ defendendæ gratia cogaris dicere, rectos muſculos a pube, non pectoris oſſe, ortum habere, contra quam omnes hactenus veteres anatomici, in humani corporis ſectione ſcientiſſimi, prodiderunt. Alioqui non eſt quamobrem velis eorum capita in oſſe pubis collocare. Ut deorſum moveatur pectus forſan. At id, etiam

Recti non a pube ortum habent.

citra muſculos detrahentes, relaxatis adverſis muſculis, ſua gravitate pectus facit. Ut autem attollantur infernæ corporis partes circa pubem, quæ ſua gravitate in altum ferri renituntur, muſculorum vi opus eſt vel maximè. Hinc eorum capita in ſummo poſita ſunt. Et quamvis ſua natura non movetur os pubis ut in articulo ſuo, movetur tamen flexu alieno, ſpinæ videlicet, ut in actibus venereis ſimilibuſque motibus facile eſt videre. Nec ſi non moveatur os pubis, ob id ſequeretur ut caput muſculi in eo, tendo in pectore ad iſtius motum ſit conſtitutus; cum eadem opera dici poſſet pectus quoque non moveri, cum & coſtarum radices tranſverſis proceſſibus vertebrarum firmiter alligentur, ſic ut moveri ſua natura nullo modo queant ſingula, univerſa tamen queunt ex accidenti, ad flexum nempe ſpinæ, & propter gravitatem ſuam atque partium ſuperiorum, & muſculorum erigentium & extendentium remiſſionem. Nec niſi præter naturæ ordinem rationiſque ductum capita muſculorum in imo collocabis,

cum

cum muſculi omnes, qui recta deorſum feruntur, ortum a ſuperioribus habeant. Nam ut a ſummis ordiar, qui maxillas movent, ortum habent in capite; qui brachium, in humero; qui cubitum, in brachio; & qui manum, in cubito. Crura item qui movent, in coxa; qui tibias, in crure; qui pedes in tibiis; idque bona ratione. Nam cum omnis motus ad ſuperna violentus eſt propter gravitatem partium, muſculorum miniſterio ad motum opus habet. Qui niſi ſublimiori loco poſiti fuerint, membra in ſublime attollere certè nequeunt. Contra, ad inferna motus ſua cujuſque partis gravitas (niſi adverſorum muſculorum intentio obeſt) ſatis facit, niſi cum violentia opus eſt. Nec ſi obliquas fibras habeant carunculæ illæ, ob id ſunt muſculi (nam inter cubitum & radium ad carpum caro eſt tranſverſis fibris, quæ tamen non eſt muſculus) ſed ſi muſculi eſſent, ob id obliquo motu moverent. Nam obliquitas non facit ut moveant, ſed ut obliquè moveant ſi moverent. Movere autem non puto, ſed in-

fulcire & replere (ut facit caro quam inter cubitum & radium ad carpum dixi positam) καὶ φρᾶξειν judico. Subest enim recti musculi tendo, qui per compressiones læderetur, nisi incumbens caro velut pulvinus quidam arceret injuriam. Sed quid istas nugas serio consector? quas Galenus vix dignatus est attingere. Quid de incisuris rectorum musculorum dicam, atque eorum usum explicem? cum Galeno visum est eas, idque genus minuta, silentio præterire, necessaria tantum persequi. Quod ex eo scire licet, quòd in fine libri sui de ossibus ad Tyrones, profiteatur se consultò de osse cordis, laryngis, & naris, de sesamoide, atque id genus exilibus sermonem non facturum, postquam ea quæ cognitu necessaria sunt explicasset. Addit & rationem; ἐκ ἀνάγκη νῦν λέγεσθαι, inquit; docens sibi consilium esse necessaria tantum tradere & consectari, exigua & levis momenti omnia præterire. Quod certè justa Galeni excusatio esse potest, atque ab omni ignorantia negligentiaque hominem liberare. Hæc si scîssent qui

De incisuris rectorum.

tantopere Galenum reprehendunt, ceſſarent a maledictis. Quibus ſi invenienda eſſent omnia quæ Galenus invenerat, & neceſſaria conſectanda omnia quæ eſt ille conſectatus ſine Theſeo atque duce, utique æquiores eſſent omnes, Galenoque magis parcerent, nec tam acriter hominem dentato calamo & linguæ virulentia iniquius perſtringerent. At cum præter minuta quædam nihil eſt ab eo relictum, & omnia quæ habent novi iſti authores neceſſaria, ab uno Galeno acceperint, eademque repetendo alio ſtylo atque ordine ut ſua reddiderint, ac præterea ex ſua obſervatione quaſdam meras, propè dixi, nugas, quas aut Galenus neglexerat vel contempſerat, aut inepta ſua inciſione ſibi ipſi fecerant, annotarunt, mirum quas novitates quidam ſe repperiſſe dicant, & quantas tragœdias in Galenum excitent, tanquam ſi pro aris ac focis res eſſet, atque ex ſua officina omnia prodirent, nec tamen inter ſe eiſdem de rebus ſatis conveniunt, nec uſus explicant, ſed tantum quid non ſint in multis edocent. Dili-

gentiam quidem laudo, ſed innoxiam, ſed ſine reprehenſione tanti viri, quantum nec orbis a morte ejus habuit, nec in medicina in futurum habiturus eſt; quem & ſæculum prius propemodum adoravit, ut ſuo teſtimonio Euſebius comprobat, & nos ambabus ulnis propter accepta literarum monumenta complecti debeamus; multo impares futuri, ſi juſto examine, nihil indulgentes noſtris affectibus, libraremus univerſa. Sed acerba res juventus, acerba temeritas amorque ſui. Illud tamen de inciſuris breviter dicam, eas a natura creatas non ad rectorum numerum, ſed ad eorum robur & firmitudinem. Nam ſi natura diviſiſſet ad numerum, ſingulos ad ortum & inſertionem oſſi affixiſſet, qua ratione a nobis dictum prius eſt, ut ſinguli, cum movendum os ſit, ſuum quiſque officium faceret. Cæterum cum ortus tantum unus & inſertio una ſit in uno muſculo recto, inciſuræ plures muſculos plures non faciunt (non enim omnis diviſio facit muſculum) firmiores tamen faciunt. Etenim per nervoſitates intertextas carnis partes

Inciſurarum uſus.

partes (molles quidem illæ & infirmæ) breviores factæ longitudinis infirmitati facilè ſuccurrunt. Plures enim breves uno longo tenaciores ſunt, & rumpendi periculo minus obnoxii; ut & brevis funis longo eſt torofior atque continentior. Ad hæc inciſuræ ad commodum motum decuſque membri in movendo faciunt. Nam ſi ſine inciſura continuus eſſet muſculus, ut eſt ille curſoris in femore, per movendi officia præter modum & decorum venter nimium intumeſceret, & rumpendi periculo non vacaret, quod ſemper natura refugit. Nam moles impedit officium, ſpecies offendit oculum; & intendendo præſto ſemper noxa eſt, quod in illo curſoris eveniſſe muſculo in anatomicis author eſt Galenus. Reciſis autem & in plures brevioreſque partes reductis muſculis, ſingulæ intumeſcunt modicè, diſtributo jam majori unius modo in plurium modulos. Quo modo, & officio conſultum eſt, & decori ſatisfactum. Admonuimus etiam lectorem in eis commentariis ſeu annotationibus quorundam Galeni locorum in Anato-

Caſtigationes.

Anatomicis, quos Veſalius corruperat, cum illi eorum caſtigandi provinciam Antonius Junta typographus Venetus commiſerat. Inter quos unus eſt libro anatomicôn 9. pagina 335. de intercepto cerebri. Addidimus & veram effigiem ginglymi ad Galeni ſenſum pag. 299. quem Veſalius ante expreſſit in prima editione libri ſui anno Domini 1543. pagina 14, longè aliena, & plane diſſimili, quòd in ea mutuus ferri ingreſſus non ſit, ut eſt in ginglymo oſſium humani corporis.

Plures Hepatis fibræ. In eiſdem commentariis, de fibris etiam hepatis (quas λόβες Græci dicunt) pauca verba fecimus, quòd & tum temporis, ut & hodie quoque contra Galenum de fibrarum numero orta diſputatio eſt. Etenim authores novi nullas aut duas tantum eſſe hepatis fibras autumant, veteres duos, tres, aut quatuor, plures aut pauciores, prout majora minorave ſunt jecinora, eſſe ſcribunt. Graviores atque doctiores his fidem adhibent, leviores & ignari illis. Omnis error eſt in non intellectis fibris. Si enim qui fibras nullas

eſſe

esse tradunt, nullas incisiones esse dicent quæ lobos faciunt, sensum negant. Etenim divisum hepar est in duas magnas partes, qua parte umbilici vena in hepar intromittitur. Dividitur etiam in cavitate sua quibusdam incisuris, quarum παρέγχυμα medium assurgit in fibras (etsi non grandes & absolutas magna ex parte a reliqua hepatis substantia, ut in pulmone) quas Græci λόβους nominant. Eas aliquando plures, aliquando pauciores esse, lib. anatomicôn 2. Herophilus (qui sexcentos homines secuit ut scribit Tertullianus lib. de anima) & lib. anatomicôn sexto Galenus, magna ex parte, non semper, tradunt. Hippocrates libro suo περὶ ἀνατομῆς, quinque esse universas scribit, ἥπατος (inquit) πέντε λοβοὶ, ἐπὶ δὲ τῷ τετάρτῳ λοβῷ ἐπικεῖται ἡ χολή. Hoc est, Hepatis fibræ quinque sunt, quarum quartæ incumbit fel. Ex quo fellis loco & indicio facile intelligitur, de quibus fibris Hippocrates loquitur. Quod sanè ignorârunt, qui fibras negant. At de quibus ille, de eisdem Galenus & Herophilus. Sed hæc de

nugis

nugis in Galenum commentis. Redeo ad anatomica; in quibus noſtram caſtigandi operam cum ex eo profuiſſe deprehendimus, quòd paſſim per hominum manus verſabantur libri; quòdque honeſtiſſimus Typographus Gulielmus Rouillius Lugdunenſis ad noſtros Græcos ſuos Latinos caſtigaverat, ex noſtris commentariis annotationes multas ad verbum penè in ſuas transfuderat, & anno Domini 1551. Lugduni parvo volumine typis excuſerat, viſum nobis fuit etiam Galeni librum τῶν ὑγιεινῶν Græcum caſtigare, & anno Domini 1549. ſine commentariis primò in communem uſum per Joannem Oporinum edere. Nam licet operam meam ipſe parvi faciebam, aliorum tamen judiciis ita ſuſtentabatur, ut ejus me duci pœnitentia oportere non exiſtimarem, Itaque auxerunt aliorum ſtudia noſtrum laborem, nec in eo me delaſſari ſinebam, in quo alios tam propenſos eſſe animadvertebam. Hujus τῶν ὑγιεινῶν caſtigandi occaſio hæc fuit. Henricus Knollus Anglus, homo familiariſſimus, & mihi omnibus rebus

Commentarii in lib. Gal. de ſanitate tuenda.

H. Knolles.

conjunctus, cum unà eſſemus Patavii, ut ſibi Galeni libros τῶν ὑγιεινῶν Græcos prælegerem, levi opera pro amicitia noſtra obtinebat. Cui ut caſtigatiorem librum facerem, omnem quo modo potui diligentiam adhibebam. Is autem, ut humanus homo erat, quod ego mane prælegebam ei, id ille (quò firmarentur omnia magis in memoria quæ audiverat) prælegebat Italis a meridie, ſumma certè omnium gratia. Ita homini illi humanioribus ſtudiis inclinato cum utcunque ſatisfeciſſem, mihi tamen ipſi medicinæ ſtudioſo nondum ſatisfeceram. Mendis enim ſcatebant omnia. Quocirca conquiſitis undique exemplaribus manuſcriptis non ſolum Italicis, ſed & Anglicis quoque cum reverteram (ex quibus duo porrexerunt Joannes Clemens & Georgius Owenus clariſs. medici) ſtuduimus emendare, quoad ejus fieri potuit, diligenter omnia. Et quoniam priora in alios libros commentaria placuiſſe & juviſſe uſu intellexeram (obſervabam enim multos ſe demiſiſſe ad eorum lectionem) etiam iſtos commentariis illuſtrare

Jo. Clemens. G. Owen.

luſtrare non detractabam operam. Erant enim neceſſaria propter verborum atque rerum commutationem, diligentumque lectorum admonitionem. Perfectos igitur jam tandem libros, & aſcriptos commentarios, Joanni Oporino Baſilienſi typographo imprimendos dedi anno Domini 1563. additis Galeni libris ad Thraſybulum, & de parva ſphæra Græcis, & eis per me quoque caſtigatis, quòd ad idem argumentum pertinere omnes videbantur. His annotationes quoque adjecimus in ſingulos libros, quòd quædam illuſtranda erant, quædam admonendus lector fuerat, quorundam ratio reddenda fuit. Adjunximus etiam Galeni librum Græcum περὶ χυμῶν, quem aliquot in locis emendaveram. Præfiximus epiſtolam ad dominam Annam, illuſtris viri domini Nicolai Bacon, magni ſigilli Angliæ cuſtodis uxorem, fœminam Græcè & Latinè doctiſſimam, Cocinæ familiæ literatiſſimæ ſobolem, cujus familiæ & mares & fœminæ omnes conferri poſſunt hodie cum laudatiſſima illa Thomæ Mori familia quæ olim fuit: cujus

Thraſybulus.

De parva ſphæra.

Lib. Gal. περὶ χυμῶν.

Doctæ fœminæ.

cujus etiam fecimus mentionem, non omiſſa recordatione literarum eruditiſſimæ nuper reginæ noſtræ MARIÆ, & præſentis ELIZABETHÆ; clarique Mildredæ Cecilii, Margaretæque Joannis Clementis conjugis, & Gulielmi Roperi uxoris Margaretæ, aliarumque fœminarum illuſtrium tum noſtræ memoriæ, tum ſuperiorum temporum in Britannia. Unà cum his ſuſcepit Oporinus ille excudenda & ſibi & multis deſiderata diu Joannis Claymondi eruditiſſimi viri ſcholia in omnes Caii Plinii naturalis hiſtoriæ libros, præterquam in primos duos, quæ a morte ejus perierunt, quæque impetraveram a præfecto & collegis Collegii Corporis Chriſti Oxoniæ (cui vivens præfuit Claymondus) in gratiam ejuſdem Joannis Oporini, qui per multas ſuas literas abs me efflagitaverat. Sed non ſatis ſcio quo conſilio editionem prorogarit. Etenim nec eos adhuc, nec Claymondi libros excudit vir ille, etſi in hoc aut reſtitutionem non ſolum per epiſtolas meas, ſed per amicos etiam tum alios, tum excellentem virum dominum Chriſtoferum

Jo. Claymondi libri apud Oporinum.

Chriſtoferus Mounte.

ferum Mounte Juris utriuſque Doctorem, & ſereniſſimis Angliæ principibus apud Argentoratenſes jam diu oratorem ſingularem, & Joannem Gylpinum humaniſſimum virum ſæpius ſollicitaveram; ſive quòd egeſtas oberat, ſive quòd illud humanum illi inerat, ut quæ non habeas deſideres, quæ habeas contemnas, neſcio. Itaque id nunc revererer, ne eo jam mortuo veniant in diſcrimen libri, niſi teſtamenti ejus executores viros eſſe doctos atque probos intelligerem; quos vehementer orarem, ut aut excudant, aut ſalvos ad me remittant libros.

Caſtigationes. Caſtigavimus & quoſdam alios Galeni libros, ut de placitis Hippocratis & Platonis omnes; ex occaſione inventi a nobis libri ejus operis primi; omnes de medendi methodo, de ſimplicium medicamentorum facultatibus omnes; & eos libros omnes quos Galenus περὶ συνθέσεως φαρμάκων inſcripſit, decem & ſeptem libris comprehenſos; quos alii dividunt, & ſuis numeris ſeorſum complectuntur. Ex quibus alios περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους, reliquos

Inſcriptiones falſæ.

περὶ

περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ γένη nominarunt. Quaſi diſtincti medicamentorum componendorum libri hi eſſent, & non unum omnium opus, ſeu ut Galenus vocat, πραγμάτεια· eo planè errore, quo librum de morborum temporibus, qui unus eſt, in duos dividunt, cum is quem faciunt ſecundum, pars tantum ſit unius illius libri, in quo pertractat primò de particularibus morborum temporibus, deinde de univerſalibus. Idcirco inſcribendus liber univerſus eſt, περὶ τῶν ἐν τοῖς νόσοις καιρῶν, & marginali nota docendum, quo loco incipiat Galenus de univerſalibus morborum temporibus ſcribere. Quod ut factum primò reor a ſtudioſo quopiam, ita ſciolus aliquis ex nota fecit titulum, quod miror interpretes in utroque opere non advertiſſe; quemadmodum neque librum περὶ συνθέσεως φαρμάκων in plures libros atque titulos divulſum, & præpoſita eſſe τὰ κατὰ τόπους τῶν κατὰ γένη· cum ii, qui κατὰ γένη ſunt, primi ſunt; inſequentes, qui κατὰ τόπους inſcribuntur, ſic ut ultimus τῶν κατὰ γένη ſit ſeptimus liber τῶν

περὶ συνθέσεως φαρμάκων· primus τῶν κατὰ τόπους, octavus τῶν περὶ συνθέσεως φαρμάκων· & sic consequenter. Emendavimus etiam Galeni libros de locis affectis, additis singulorum librorum argumentis; & de differentia febrium, deque purgantium medicamentorum potestate; ut & libellum in quo Galenus docet, qui purgandi sunt, quibus medicamentis, & quo tempore. Librum item de differentia morborum unum castigatiorem fecimus; de morborum causis librum item unum; de differentia symptomatum librum unum; & de causis symptomatum libros tres; qui omnes sic Græcè sunt impressi primo Basileæ, ut si omnes essent ejusdem operis libri sex: Quasi liber de differentia morborum unus, esset primus; de causis morborum unus, secundus; de differentia symptomatum unus, tertius; de causis symptomatum primus, quartus; secundus quintus; & tertius sextus; corruptè sane admodum & longè aliter, quam pro Galeni instituto. Sed de his latius in illo libro nostro, quem de libris Galeni, qui non

Numeri librorum falsi.

non extant, Græcè ſcripſimus; in quo & ejus operum ordinem quoque oſtendemus. Atque hæc de libris Galeni Græcis emendatis. Sequuntur Latinorum libri abs me quoque caſtigati.

Anno enim Domini 1543. defunctus publico munere prælegendi Ariſtotelicam diſciplinam Græcè publico ſalario illuſtrium Venetorum, concurrente Realdo Columbo Cremonenſe, in ſcholis publ. apud S. Blaſium Patavii (nondum enim Artiſtarum ſcholæ ad forum Boarium ex toto exſtructæ, nec a juriſconſultorum ſcholis diviſæ erant) meditabar ante reditum in Britanniam profectionem in omnem Italiam. Cum igitur eo anno, menſe Julio, Patavio Florentiam atque Piſas audiendi cauſa clariſſimum virum Matthæum Curtium, in medicina præceptorem noſtrum, conceſſeram, Celſumque in itinere circumferebam, nactus copiam trium exemplarium manuſcriptorum Florentiæ apud ſanctum Laurentium in Bibliotheca publica illuſtriſſimi principis Coſmi Medices, quæ omnibus literarum ſtudioſis principis humanitate

Celſus.

M. Curtius.

Bibliotheca Florentina.

manitate atque gratia patet, diligentem navabam operam, ut meis ſtudiis Celſum inoffenſum redderem. Me certe miſerebat injuriæ, quam temporum atque hominum vitio paſſus is eſt; dolebat eloquentiam tanti viri, qui merito Latinorum medicorum primus haberi debeat, corrumpi, medicinam jacere. Cui rei opem ferre cùm ſtuderem, contuli cum Florentinis tribus codicibus (quorum alter vetuſtiſſimus, reliqui recentiores erant) Celſum Lugduni excuſum anno Domini 1542. quòd is caſtigatior mihi videretur. Contuli cum Veneto item & Salingiacenſi impreſſis. Sicubi tamen per iſtos dubitavimus, in conſilium adhibuimus alterum Urbinatem, quem in Bibliotheca ducis Urbini (cum libris Galeni de uſu partium, Aphor. Hipp. & introductione ſive Medico) triduanis precibus vix tandem obtinuimus; uſque adeo difficilis acceſſus eſt in Bibliothecam ejus viri, ſive natura ingenioque ſuo, ſive quòd paulo ante a typographo, cui librum Galeni περὶ εὐπορίστων integrum commodaverat, ingratè fuiſſet

Bibliotheca Urbinas.

fuiſſet habitus, ſive alia de cauſa, neſcio. Adhibuimus & Lazari Bonamici oratoris apud Patavinos eloquentiſſimi alterum, cum Patavium reverteremur; utrumque manuſcriptum. Quibus non ſufficientibus (oſcitante enim uno ſæpius & alter oſcitabat) etiam Hippocratem ipſum conſuluimus, quòd eum ita Celſus imitetur, ut Marcellus Scribonium, Virgilius Homerum, & Oribaſius Galenum; ſed tam occultè, ut non facile deprehendas, niſi in Hippocrate multum ſis verſatus. Cum in Britanniam reverſus eſſem, ad alios item diligentius per otium contuli, & quæ in Italia tranſcripſi, recognovi omnia. Liberati iſtis modis variis ſcrupulis, quibus multi docti & egregii viri irretiti nec dum ſe expediverunt, variiſque dubitationibus, quæſitis quidem a multis, explicatis vero a nemine (quod ex eorum ſcriptis eſt compertum) multa emendavimus. In diſcordia tamen codicum, aut taciturnitate exemplarium per corruptiones, cum aliis ſuperius commemoratis rationibus conſequi non potuimus quod maximè concupivimus, noſtrum

Celſus interpres Hippocratis.

judicium & ſententiam interponere cogebamur. Sed ita tamen, ut admoneremus lectorem ejus brevi commentario, ut ſi commentum noſtrum parum reſponderet, liberum cuique foret ſuum, aut quod velit alterius judicium pro arbitratu ſequi. Diſcordes autem erant libri ſæpiſſimè, & maximè recenter ſcripti; quòd ſæpius fuſi ac refuſi librariorum vitio ſint corrupti.

Antiqui libri Celſi.

Antiquus ille, annorum plus minus nongentorum, integritatem majorem retinebat. Ex recentioribus alter Petri Medices erat, a patre Antonio Marii anno Domini 1427. ſcriptus. Alter Angeli Politiani politiſſimi viri fuit, ut ex ejus ſubſcriptione manu propria intellexi, a filio Antonio Marii anno a Chriſto nato 1453. exaratus. Præfiximus commentariis noſtris in Celſum & Scribonium præfationem de ratione ſtyli & argumenti Celſi, de ratione ponderum & menſurarum Celſi & Scribonii, & de vera denarii Romani charactere & imagine, quam ad denarii Romani argentei noſtri figuram graphice depingi & ſculpi curavimus. Adhibuimus & indicem

rerum

rerum omnium memorabilium pleniſſimum.

Celſo abſoluto, venit mihi in mentem, ut Scribonium quoque, veterem medicum & ſcriptorem, emendarem, atque cum Cornelio componerem, quòd & is quoque corruptiſſimus eſſet, & ambo Romani ſcriptores atque coætanei viderentur. Etenim Celſus ſub Tiberio, Scribonius & ſub eodem imperatore, & ſub Caligula quoque atque Claudio Cæſare floruit, cujus medicus idem fuit, quique cum eo in Britanniam transfretavit, Lunæ portu (quod primum Hetruriæ oppidum eſt, & uſque antiquum nomen retinet) ſolvens. In qua noſtra Britannia haud ſcio an Scribonius librum illum ſuum ſcripſerat, quòd in compoſitione quadam ſua dicat, ſe peregre fuiſſe, nec ideo librorum copia inſtructum eſſe. Eum autem Scribonium ad Marcellum magna ex parte, non tamen omni, caſtigavimus, qui ex Scribonio multa ad verbum excerpſit (ut Paulus, Aetius, atque Oribaſius ex Galeno) multa paraphraſticôs extulit, ut & multa omnino omiſit, *Scribonius.*

quæ videlicet de emplaſtris, de venenis & antidotis, deque Epilepſia Largus tradidit. Si quando interponendum fuit noſtrum judicium, vel deficiente Marcello, vel corrupto eo, brevi id commentario annotavimus, haud alia ratione quàm quæ ante eſt expoſita. Atque ita caſtigatos & conjunctos Celſum & Scribonium, & commentariis auctos, adhuc aſſervo, propediem, ſi per otium licebit, editurus; fortuna interim eligente, ut hi qui prius caſtigati ſunt, poſteriores illis τῶν ὑγιεινῶν, qui poſterius, typographis traderentur.

De Ephemera Britannica.

Iſtis confectis, cœpit in Anglia anno ſalutis humanæ 1551. pullulare peſtis noſtra inſulana, quam nos Ephemeram, ſeu ſudorem Britannicum alio nomine vocitamus. Is quòd poſtea ſæviret graviter, ſcripſimus rogante amico noſtro ſingulari Roberto Warmyngtono, Philoſopho & Juriſconſulto Londinenſi cum primis docto, aliiſque amicis poſtulantibus, de Ephemera Britannica ad populum Britannicum librum primò unum; feſtinatione potius effuſum propter morbum præcipitem, &

R. Warmington.

Londini

Londini apud Richardum Graftonum typographum Regium excuſum, quàm cura diligentius per maturitatem elaboratum: poſtea, alterum accuratius in commune omnium commodum; ſed & eum primò ſingularem, poſtea propter magnam acceſſionem, in duos diviſum; in quorum altero cauſas morbi & præſervationem, in altero remedia copioſè explicavimus. Hic liber poterit eſſe medicinæ ſtudioſis particulare exemplar univerſalis methodi, ut ante propoſuimus, cum de libris noſtris de medendi methodo diximus. Iſtis jungebamus libros tres Latinos Galeni ex noſtra tranſlatione, poſtquam eos Græcos caſtigâſſemus. Ex his duo ſunt de libris propriis Galeni, & ordine librorum ſuorum; tertius de ratione victus Hippocratis in morbis acutis. Non illa commentaria dico, quæ in Hippocratis librum ea inſcriptione divulgatum ſcripſit, ſed alterum illum libellum non ante excuſum, cujus in libro de libris ſuis inter θεραπευτικὰ mentionem fecit. Sed hunc certe nondum edidiſſem, quòd Græcum exemplar, quo ſum

Verſiones.

De diæta in acutis Gal.

ſum uſus uno, non ita mihi per omnia ſatisfecit, etſi in eo caſtigando (ut & in libro περὶ κώμαλος, quem ante annos viginti quinque inter alia Baſileæ primus ediderам) plurimum inſudârim, niſi quòd nolim medicinæ ſtudioſos eo aliqua ex parte emendato tantiſper carere, dum adhuc perfectior per me recudi poſſet. Vereor enim ut ſi ego interim moriar, periret liber. Eo conſilio, brevi etiam Græcè eum dabo. Cæteros duos libros viſum eſt etiam vertere potius quàm caſtigare, tum quòd nollem caſtigando falcem meam mittere in meſſem alienam, tum quòd facilius multò fuit de integro traducere, quàm aut vetera retexere, aut nova aſſuere, & veteribus ollis novas anſas affigere, cum tot in locis a prioribus & vulgaribus exemplaribus Græcis variarent. Cujus rei cauſas tum aperiemus, cum in libros hos Græcos (quos etiam, ut dixi, reſtituimus) annotationes dabimus, & hos unà excudemus. Hos impreſſit Lovanii Italica litera Antonius Maria Bergagne, natione Italus, anno Domini 1556. non in-

De comate Galen. lib.

Annotationes.

fœlicibus auſpiciis eorum, qui in editionibus Latinis omnium Galeni operum, ultimis jam illis anno 1565. Venetiis excuſis, his uſi ſunt, ut diligentius conferenti facilè liquebit. Iſtis libros noſtros duos de medendi methodo auctos adjunximus, addito indice rerum omnium locupletiſſimo.

Caſtigationes quorundam Gal. librorum.

Poſtquam iſti eſſent editi, caſtigavimus librum Galeni Græcum περὶ ἐπλαμήνων βρεφῶν, καὶ τὰ χαρακτηριζόμενα τὰ τῦ Ἱπποκράτους ex Stobæo, quos Thomæ Wendeo dedimus, καὶ τὸ περὶ ὀστῶν τοῖς εἰσαγομένοις, (brevibus quidem ſcholiis illuſtratum poſtea, ſed nondum editis) quod Thomæ Maroni correximus; quòd hic anatomes ſtudioſus, & naturæ admirator perpetuus, ad annos penè viginti ſemper interfuit noſtris diſſectionibus anatomicis (quas Londini obivimus voto illuſtriſſimi principis HENRICI Angliæ regis ejus nominis octavi, apud chirurgos; nam apud medicos per ea tempora nullæ erant) ut Galeni Boethus Romæ; ille ex occaſione multus ſanè eſſet in ſtudiis ſeptimeſtris partus, exiſtente

exiſtente ejus argumenti libro Galeni incorrecto. Libro de oſſibus omnia capita ideo delevimus, quòd in vetuſtis exemplaribus nunquam Galeni dictionem in capita vidimus diſtributam; quòdque velimus Galenum, ut eſt, ita ſemper videri ſui ſimilem, uti admonuimus in commentariis noſtris in librum ſecundum Anatomicôn Galeni. Titulos tamen reſtare voluimus, quòd eos ſæpe in vetuſtis codicibus vidimus. Hic autem a Galeno fuiſſe poſitos (ut etiam lib. de ſimpl. medic. facultatibus, de facultatibus alimentorum, de compoſ. med. & multis aliis in libris) ex hoc conjicimus, quòd prima Galeni verba, quæ ſub titulo τοῦ ἱεροῦ ὀσοῦ ſcripta ſunt, aliò referri non poſſint, quàm ad titulum præcedentem. Poteſt tamen hac de re dubitare quis, quòd ultimus titulus totius libri, Galeni dictionem interrumpere videatur, quam alioqui tranſitione continuam Galenus feciſſe videtur, cum dicat; καὶ μετὰ ταῦτα τὰ τέτταρα πανέσθαι μὲν ὁ τάρσος τοῦ ποδὸς, ἄρχεσθαι δὲ τὸ καλούμενον πέδιον. At libellum περὶ πλυσασύνης Græcum

Galenus non diviſit libros in capita.

Lib. de pryſſana.

cum ad vetuſtum codicem manuſcriptum non ſolum caſtigavimus, ſed etiam integrum fecimus, cum prius eſſet factus lucerna mutilus, dormitantia ejus qui Aldino prælo tum præfuerat, uti Jo. Clemens Anglus, eximius planè medicus, & omnibus Græcorum Latinorumque ornamentis decoratus, qui per ea tempora Venetiis apud Aldum egit, certa fide nobis retulit. Dormitante enim illo, candela in exemplar cecidit, & combuſſit. Hos Baſileæ excudit Jo. Oporinus anno a Chriſto nato 1557.

Ex quo tempore emendavimus Hippocratis librum περὶ ἀνατομῆς Græcum, valde (ut nos putamus) diſſipatum, jam (ſed conjectura noſtra) reſtitutum. Reſtituendi autem conſilium, quòd longè alius liber eſt quàm fuit, adjeciſſe non erit alienum. Annis ſuperioribus caſtigaturus Galeni librum de placitis Hippocratis & Platonis ſextum inter cæteros ejus argumenti libros, incidi in locum quendam Hippocratis de anatomia venarum, quem Galenus eo in lib. ſe expoſuiſſe dicit, 2. ſuo libro in Hippocratis

Hip. lib. περὶ ἀνατομῆς.

pocratis anatomen. Is locus cum me multum torſiſſet fruſtra, tanquam alienus aut non bene correctus, conſulere Hippocratis anatomiam libuit. Hæc autem cum eſſet perexigua, nec amplius viginti verſibus contineretur, nihilque ex iis quæ quærebam in ea inveniſſem, aut magnam jacturam paſſum eſſe librum judicabam, aut certe inſequentes libros, quos ad rem anatomicam feciſſe ſciebam, ἀνατομῆς Hippocratis membra fuiſſe conjiciebam. Avidus igitur inveniendi locum, perlegebam librum περὶ καρδίης & librum περὶ ἀδένων, nec quod quærebam inveni tamen. Superfuit alter liber, anatomicus & ille, ſed quia de natura oſſium inſcribebatur, fruſtra me in eo quæſiturum venas exiſtimabam. Animus tamen erat ut eam quoque perlegam. Verum ubi ad quinque verſus progreſſus ſum, deſcivit liber ab eo, quod inſcriptio de natura oſſium promiſit, ad ureteres, laryngem, pulmones, nervos atque venas. Unde etſi perturbatum ordinem & depravatum librum deprehendi, quæſitæ tamen rei inveniundæ aliqua ſpes affulſit.

affulsit. Ita sensim promovendo, incidi in locum Polybi, Hippocratis discipuli, de quatuor venarum paribus, ab omni veritate alienum, & a Galeno quidem in com. in secundum librum Hipp. περὶ φύσεως ἀνθρώπου damnatum; ab Aristotele vero, 3. de historia animalium ex Syennesi Cyprio medico, & Polybio (Polybo scribendum fuit) relatum, non tamen assumptum, sed rejectum. Quo perlecto, mox sequebatur id quod quærebam, nempe anatomia venarum iisdem fere verbis cum ea venarum sectione, quæ libro secundo ἐπιδημιῶν ab Hippocrate tradita est, & a Galeno in com. in secundum librum Hipp. περὶ φύσεως ἀνθρώπου ut Hippocratis approbata; nisi quod integrior & amplior ad 2. aut 3. versus subinde illa quàm hæc in Epidemiis est. Ex quo loco in libro περὶ ὀστέων φύσεως invento, intelligebam hos omnes libros, ut sunt anatomici, ita unum Hippocratis titulum περὶ ἀνατομῆς subire oportere, esseque unius argumenti omnes, etsi de variis animalium partibus disparibus titulis seorsum pertractarent; nec esse hos

hos libros variis inſcriptionibus ut prius ſejungendos, ſed unà comprehendendos omnes, ſic ut περὶ ἀναϛομῆς inſcriberentur. Quod quo minus fieret, nihil obſtare mihi videbatur, cum nuſquam apud Hippocratem aut Galenum legerim, quod ſciam, hunc librum περὶ ἀναϛομῆς in plures eſſe ab Hippocrate diſpartitum; nuſquam (quod memini) de his libris περὶ καρδίας, περὶ ἀδένων, & περὶ ὀϛέων φύσεως ab Hippocrate aut Galeno his nominibus factam mentionem. Commentarios autem in hunc unum Hippocratis περὶ ἀναϛομῆς ſex Galeni eſſe, ſæpius legi apud Galenum in libro de libris ſuis & alibi inter opera ejus. In ſexto enim de placitis Hippocratis & Platonis, de ſecundo περὶ ἀναϛομῆς facit mentionem; in primo de ſemine, de quinto; in ſecundo de adminiſtrationibus anatomicis, Καὶν τοῖς περὶ τῶν ἰαϛρικῶς λεγομένων ἐν τῷ Πλάτωνος Τιμαίῳ de tertio; & de aliis, aliis in locis. Sex autem commentarios non ſcripſiſſet, ſi Hippocrates anatomen ſuam ultra 20. verſus non extendiſſet, etſi in dicendo copioſior fuerit. Hoc con-

filio libros conjunxi, titulos ſuſtuli, & περὶ ἀναϛομῆς inſcriptionem feci. Dedi operam etiam ut aliquanto caſtigatior liber exeat, qui depravatus prius & corruptus multis in locis erat, atque ut reſtituantur quæ ablata eſſe ex Calvo didici, effeci quoque. Eam ob cauſam principium libri de offium natura ex μοχλικοῦ initio appoſui. Quod ut idem cum principio libri περὶ ὀϛέων φύσεως apud Calvum eſt, ita loco aptè quadrat. Septis quoque concluſi quæ aliena, quæ iterata, quæ parum vera nobis videbantur. Idcirco ungues, quòd nec Galeno nec Ariſtoteli oſſa ſunt, ſepivimus ; vertebras quoque, quia repetitæ ſunt; & quæ ex Polybo Syenneſique aſcripta ſunt, quia aliena ſunt, concluſimus. De ordine autem librorum nihil habeo certi dicere, cum nec in Græcis nec in Cornarii verſionibus conjungantur, nec apud Calvum ullo ordine collocentur. Nam liber περὶ ἀδένων apud hunc primus eſt, multis libris interpoſitis ſejunctus a cæteris. Poſt quos interpoſitos conſequitur liber περὶ ἀναϛομῆς, & liber περὶ καρδίης.

δίης. Tum demum interpoſito Hippocratis libro κατ' ἰητρεῖον liber ſequitur περὶ ὀστέων φύσιος. Sed an hæc (quæ non videtur) an alia librorum diſpoſitio Hippocratis ſit, certò ſciri nequit, niſi ex ipſo Hippocratis libro integro & incorrupto περὶ ἀνατομῆς, aut ex Galeni in eum librum commentariis. Equidem in tam involuta veritate ſic divino de librorum ordine, ut ille jam diu inſcriptus περὶ ἀνατομῆς prima pars ſit, quæ omnibus nomen dedit. Secundo loco habeatur ille περὶ ὀστέων φύσιος, quòd de venarum ſectione Hippocratis (quæ hac parte eſt) libro ſuo ſecundo ſe ſcripſiſſe Galenus περὶ Ἱπποκράτους καὶ Πλάτωνος δογμάτων libro ſexto tradidit. Nam ſi ultimo in loco, ut in excuſis libris, poneretur iſta pars, veriſimilius fuiſſet Galenum expoſuiſſe eam ultimis ſuis libris, hoc eſt quinto & ſexto, potius quàm ſecundo. Tertio in loco, pars ea περὶ καρδίης eſto quæ aptè conſequitur ad ea omnia, quæ de corde, venis, & arteriis libro περὶ ὀστέων φύσιος Hippocrates extulit. Neque enim univerſus liber de oſſibus eſt, prout

Diſpoſitio partium lib. Hip. de anatomia.

prout titulus pollicetur (quem literator aliquis huic, ut & cæteros titulos cæteris libris appoſuiſſe videtur, parum cogitans quid univerſo libro, ſed quid ſingula parte tractatum ſit) ſed libri principium tantum. Ad poſtremum, quartum locum, tanquam ſuum, quarta pars περὶ ἀδένων (quæ tranſitione ei περὶ καρδίης jungitur) ſuo jure ſibi vendicat. Tranſitionem dico hanc, περὶ δὲ καρδίης τοιαῦτα εἰρήσθω· περὶ δὲ ἀδένων ἁλομελίης ὅδε ἔχει. Hoc ordine, uſque dum ex ipſo libro invento certior deprehendi poſſit, edendos exiſtimavi, ſed communi omnium titulo περὶ ἀνατομῆς, ſed noſtra tantum divinatione, ſed noſtra ut dixi conjectura, aliqua tamen ratione comprobata. Quam ſi quis probaverit, ſequi poteſt; ſin minus, ſuos habet & ſecretos & corruptos libros quibus conſueto more uti liceat. Nemini enim non patebit noſtræ conjecturæ utilitas, ſi velit uti; neminem urgebit, ſi malit carere. Equidem diligentem tantum lectorem volui admonere, & cogitandi materiam aliis præbere, doctoſque viros ad Hippocratis & Galeni

Reſtitutio Hippocratis & Galeni operum.

libros Græcos conquirendos, reſtituendos, excudendoſque excitare. Quo certe nomine multum tribuerem doctiſſimis viris Aug. Gadaldino, familiari olim noſtro in Italia apud Juntas, Nic. Machello, & Jo. Bap. Raſario, ſi libros Galeni Græcos, quos tranſtulerunt, ſub prelum miſiſſent. Vellem enim vetuſtos codices e domeſticis latebris umbratilique loco in medium agmen eductos, in pulverem, in aciem ſcholaſticam, in aſpectum lucemque prolatos. Sic enim Græcis Latiniſque hominibus ſumma & plena laude ſua legerentur. Tranſtulit autem Gadaldinus, *Gadaldinus.* περὶ μυῶν ἀναϛομῆς· περὶ νεύρων ἀναϛομῆς· περὶ φωνητικῶν ὀργάνων ἀναϛομῆς· καὶ περὶ τῶν ἰατρικῶς λεγομένων ἐν τῷ Πλάτωνος Τιμαίῳ libros. *Machellus.* Machellus, principium commentarii primi Galeni in librum primum Hippocratis ἐπιδημιῶν. *Raſarius.* Raſarius, ſeptimum & octavum commentarium Galeni, & dimidium ſexti in ſextum Hippocratis librum ἐπιδημιῶν, & tres Galeni commentarios in librum Hippocratis περὶ χυμῶν, ſpe majori futurorum.

Poſtquam iſtum Hippocratis librum περὶ ἀνατομῆς caſtigâſſemus, ſcripſimus etiam proximè de rariorum animalium atque ſtirpium hiſtoria ad Conradum Geſnerum librum unum, in quatuor partes diviſum. In prima de quadrupedibus; ſecunda de avibus; tertia de piſcibus; & quarta de ſtirpibus raris ſermonem fecimus. De quibus ſeorſum retroactis annis ad illum ſcripſimus. Ea omnia in libris ejus de animalibus invenies cum figuris, præter Buculam cervinam, Tragelaphum, ovem Arabicum μακροκερκὸν, ſcapum granorum Paradiſi, palmulas Hieroſolymitanas, & Ilicem utramque; quarum figuras & deſcriptiones ad eum miſimus poſtquam edidiſſet libros ſuos de animalibus, & paulò ante mortem. Eum unà cum hoc noſtro excudit jam Gul. Sereſius typographus Londinenſis.

De rariis animalibus liber.

De canibus Britannicis librum item unum ſcripſimus ad eundem, dulciſſimum certè dum vixit amicum, cujus mors inopinata dudum Idibus Decembris anno Verbi incarnati, 1565. ſic afflixit animum meum,

Eulogium Geſneri.

meum, ut mœrorem ejus bene longum tempus (quod acerbiſſimis doloribus, etiam in mulierculis, mederi ſolet) uſque adeo non lenivit, ut & paulatim magis ac magis cogitatione auxerit, non tam propter animorum conjunctionem (quæ maxima cognatio eſſe ſolet) aut propter propenſum ejus in me animum, quàm propter mores candidiſſimos, quàm propter raram cognitionem & infinitam lectionem, ob quæ non dilexi ſolum, ſed amavi plurimum. Sed quid facias contra fatum, cum mors & vita jure naturæ ſunt, cum hæc duo mori & vivere noſtra ſunt; imo verò cum vivendo moriamur. Quid facias contra communes caſus mortalium? cum nil proſunt lachrymæ, nec poſſunt fata moveri; cumque omnium exitus hic unus erit, viximus. Ferendum ergo moderatè, quod vitari non poteſt. Satis eſſe debet ſolatii quòd bene vixit, quòd bene moriebatur, & quòd bene apud omnes propter ſingulares animi dotes, quibus Reip. multum profuit, audiat; profiturus magis (majori gloria) ſi per fata licuiſſet; ut ex epiſtolis ejus ad me, quas multas dedit,

Fatum immobile.

Mortis quies.

dedit, intellexi. Requieſcit in pace vir ille fœlix, bonus, æquuſque, ſemotus turbis & miſeriis hujus vitæ, quam nos reliqui mortales (qui fas nefaſque eodem animo magna ex parte ducimus) miſeram adhuc trahimus infœlices, quamvis in rerum ſplendore & opulentia conſtituti; quamvis qui opibus plus poteſt, authoritate plus valeat; adeo ut ſi quis iniquam hujus vitæ conditionem altius contemplari velit, optabilius certe multo eſſe deprehendet, aut non omnino natum eſſe, aut natum quàm mox interiiſſe, uti Poſidippus Caſſandreus comicus ſolebat dicere. Quantis enim malis referta ea ſit, quibus caſibus expoſita, quàm omnibus fortunæ telis objecta, & quot morbis obnoxia, ut paucis verbis referre propter dolorem expedit, ita quotidianus uſus pleniſſimè docet. Etenim ut a vitæ noſtræ primordiis ordiamur (ſi neſcis) quis non videt naturam primum naſcentium hominum fletum & vagitum eſſe voluiſſe; lætitiæ autem ſenſum, qui riſu deprehenditur, non ante quadrageſimum diem conceſſum eſſe?

Calamitas humanæ vitæ.

Omnes his principiis in lucem edimur, his omnium ſequentium ordo conſentit. Si enim reſpicere velis, quantum a tergo malorum, quantum rerum triſtium immineat, larga certè miſeriei & aſſidua materia eſt, magna lachrymarum cauſa. Atque ut alia non ſint, certè ut laceſſat fortuna metus eſt, ſic ut perpetuò ſolet.

Infortunia. Nam hunc incendia conſumunt, illum cædes tollit; alium unda abſorbet, alium ex alto tegula enecat; tempeſtas alium conficit, alium dehiſcens terra devorat; alium ſerpens, alium præceps caſus exanimat. Alium ad quotidianum opus laborioſa egeſtas vocat; alium ambitio nunquam quieta ſollicitat; alius molles divitias (fortunæ ludibria) quas optaverat metuit, & voto laborat ſuo, ut rectè ſcripſit Seneca. Iſtum ſollicitudo, illum ſimultas turbat; alium labor in affluentia rerum torquet, alium ad oſtium aut in via obſidens turba moleſtat. Hunc brumalibus diebus frigus, hunc æſtivis calor urget. Sitis alium, alium fames premit; hic timet, ille invidet; illum ſtultus amor vexat,

vexat, hunc edax odium emaciat. Hic habere ſe dolet liberos & uxorem, hic perdidiſſe, contrario voto; quod vitæ vanitatem vel maximè prodit. Iſtum irrita fallacis fortunæ ſpes inquietat, illum cui uberioris rei expectatio nulla erat, onere fortuna gravat. Eadem hunc tollit, hunc deprimit, & de rebus brevi relinquendis, deque lana ſæpè caprina, tanquam pro aris atque focis hic pugnat, hic litigat, ut in vita ſæpius aut de βρόχῳ aut de λίγῳ cogitandum, uti ſapiens Diogenes ſolebat dicere. In ſumma, ne τὸν ἄμμον ἀναμείρειν videamur, quàm nihil uſquam non plurimo felle tinctum in vita eſt. Itaque ratio nobis in rebus humanis ni finem miſeriarum fecerit, fortuna non faciet, & vita nobis ante deerit quàm cauſa dolendi; tantæ hominum curæ, tantum eſt in rebus inane. Imo cum multum diuque hujus vitæ procellis ſuſque deque jactatus fueris, multis periculis defunctus, tum cum ſuaviſſimè quod vitæ ſupereſt agendum ſperes, ſubeunt morbi (quorum pluſquam trecenti, ſcribente Plinio, inſidian-

In vita aut ratio regat, aut mors.

Morbi.

tur

tur vitæ noſtræ) triſtiſque ſenectus; tandemque mortem obire diſſoluto naturæ vinculo cogeris; egregium certè auctoramentum vitæ. Certa tamen naturæ ratio hæc eſt, nec fallit unquam. Etenim ita comparatum eſt, ut commorandi natura diverſorium nobis, non habitandi daret. Quòd enim conſtitutionis noſtræ elementa corrumpi facilè poſſent, & eorum nexus levi quavis occaſione diſſolvi ſolet, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit; ita ut cuiquam conſtare non poſſit aut exploratum eſſe, quomodo habiturum ſit corpus, non dico ad annum ſed ad veſperam. Atqui ea, quamvis brevis, (nam σιγμὴ χρόνος πᾶς ἐστὶν ὁ βίος, ut de pueris inſtituendis Plutarchus ait) ſi dulcis eſſet, ſi jucunda, aut ſaltem moleſtiis vacaret, æquior eſſem ſi amplecteretur eam. Jam vero cum aliud nihil vita ſit quàm propagatio miſerrimi temporis, quàm trutina humanæ calamitatis, quàm fortunæ ludibrium, quid eam tanti facimus? Cato ſenex mea quidem ſententia ſapienter cenſuit: Quod ſi quis Deus (inquit) mihi largiatur

Senectus.

Vitæ brevitas.

Incommoda vitæ.

largiatur ut ex hac ætate repueraſcerem, & in cunis vagiam, valdè recuſem, nec vero velim quaſi decurſo ſpatio à calce ad carceres revocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? Sed habeat ſanè, habet certè tamen aut ſatietatem aut modum. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi & hi docti ſæpè fecerunt. Nec me vixiſſe pœnitet, quoniam ita vixi, ut fruſtra me natum non exiſtimem. Et ex vita iſta diſcedo, tanquam ex hoſpitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cum ad illud animorum concilium cœtumque proficiſcar, & cum ex hac turba & colluvie diſcedam. Hactenus Cato major. Quamobrem in hac corporis noſtri fragilitate & inconſtantia, in hac vitæ brevitate & amarore, in his fortunæ turbis & tempeſtatibus, equidem mihi perſuadeo, chariſſimum amicum noſtrum Conradum Geſnerum fœliciter e vivis exceſſiſſe, ſic ut ſcias mortem illi conſuluiſſe, non invidiſſe, dilexiſſe eum, cum

Sitienda æterna.

Fœlix mors Geſneri.

cum tantis malis abripuerit, quem odiſſet ſi conſervâſſet. Cujus mortis charitas in hoc quoque cernitur, quòd non eum ſuſtulit uti Socratem atque Phocionem per cicutam, nec uti Lucium Senecam per principis iram, nec uti Epaminondam per cauſæ capitis actionem, nec uti Scipionem per exilium, nec Ariſtidem per populi invidiam, nec Themiſtoclem per venenum, nec ut Diogenem per Polypodem, nec Aeſchylum per teſtudinem, nec Sophoclem per uvæ acinum, nec Euripidem per canum injuriam & laniationem, nec denique veluti Homerum per famem, ſed per fatum ſuum naturale, per omnium gratiam, per ſummam ægritudinis moderationem. Et cum moriendum aliquando ſit, quid noſtra referat, citius an tardius fatis concedamus? Nemo recuſabit ferre ſortem quam omnes patiuntur. Tantum hoc ſpectemus, ut bene moriamur. Bene autem moritur qui bene vixit. Nec eſt quamobrem animis frangeremur propter cupiditatem vitæ ejus, quæ nos manens conficeret angoribus, & dimiſſa moleſtiis omnibus

omnibus liberaret, quorum numerus tantus eſt in vita, ut certè non poſſint numerari. Nemo tamen libenter moritur, & neſcio quo modo nobis placeamus, cum nihil aliud tamen miſelli ſumus quàm imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, invidiæ & calamitatis trutina, reliquum verò pituita & bilis, & ſi quid aliud vilius. Itaque etſi, repudiata jam omni fortunæ ambitione, decernere liceat indulgenter cum eo fortunam agere, qui jure dici non infœlix poteſt, iſte tamen & illis nominibus & hoc quoque potiſſimum eſt fœliciſſimus habendus omni populo, quòd contra fortunam, contraque brevis vitæ mortalitatem virtute, literis & rectè factis (quod virtutis opus eſt) ſic niſus ſit, ut famam factis extenderit, ut mens immortalis ſit & ſtabilis, corpore illo ſuo mortali exiſtente & caduco, atque honeſtæ vitæ memoriam apud poſteros poſt ſe reliquerit, unde etiam poſt funera vivere, & poſt obitum ſupereſſe inter homines poterit, ut cum curſus vitæ brevis ſit, curſus gloriæ

poſſit

poſſit eſſe ſempiternus. Nam ut in vita vacare culpa magnum eſt, ita optimarum artium & maximarum rerum gloria in æternitatem ſe ſuſtentare, maximum. Siquidem altera vivo nunquam eripi, altera ne mortuo quidem poſſit. Sic utjam non amplius dolendi cauſa, ſi nos humani affectus non abriperent, ſed lætandi potius eſſet. Etenim amiſit vitam, non perdidit; amiſit ſpiritum, potitus eſt gloria, quæ major ſemper eſſe ſolet poſt mortem quàm per vitam, recedente invidia & deficiente præſentia. Sed homo ſum, humani a me nihil alienum ſcio. Sentio amicitiæ ſinceros affectus, & propter dulcedinem ejus jam fato amiſſam, deponere eos cum libet non poſſum. Verum animum a luctu revocabo ad libros, a quibus receſſi, experturus num diverſum ſtudium diſparem faciat animum, ut quod tempus non poteſt, ſtudium mentiſque alienatio a triſtibus fallat.

Lib. de canibus Britannicis.

Redeo ergo ad librum de canibus, a quo ſum digreſſus. In eo Canum Britannicorum (inter quos Scoticos ſum complexus)

plexus) genera, uſum & naturam, differentias atque mores explicavimus. Hoc ut facerem cum per literas peteret Conradus Geſnerus, ſcripſimus ad eum pinguiori quidem Minerva & tumultuarie primò, ſed ut rudius ſic & planius. Quod tamen cum placeret illi magis quam pro arbitrio meo, in Epitome animalium, quam de Iconibus inſcripſit, qua parte de canibus Scoticis agit, ordine ſecundo manſuetorum quadrupedum, pollicebatur ſe brevi editurum. Verum cum hoc mihi parum arrideret, reſcripſi, ut non committeret aliquando, ut is libellus ſub prelum veniat; me enim illi alium paraturum commodiorem. Atque hac occaſione ſcripſimus hunc libellum in ejus gratiam; & inſcripſimus, de Canibus Britannicis ad Geſnerum; Gul. Sereſii typis hoc anno 1570. expreſſum, quem fortuna nollet per tantum virum in publicum emigrare.

De ſymphonia vocum Britannicarum liber.

Eo abſoluto, ſcripſimus alium libellum de ſymphonia vocum Britannicarum, in quo docuimus quemadmodum cum lingua Græca & Latina Britannica noſtra conſonet;

conſonet; quòd multi generis noſtri originem a Græcis removeant, cum tamen Brutus Trojanus, & ante eum Albania regis Græciæ filia, poſt aborigines gentis noſtræ authores extitiſſe ſcribantur, Romanis poſtea lingua ſua omnia permiſcentibus.

Londinenſis. Scripſimus & Londinenſem, ſeu de antiquitate Cantabrigienſis Academiæ libros duos, quos ab Oxonienſi quodam prius laceſſiti, neceſſariò excudi curavimus Londini anno Domini 1568. menſe Auguſto per Henricum Bynneman, in quibus docuimus Cantabrigienſem Academiam Oxonienſi longè antiquiorem eſſe, & Oxonienſem recentiorem multò quàm pro voto Oxonienſis; fraudeque factum ut ad Alfredum authorem referatur id gymnaſium; atque ad Cricladenſes multo magis; confutata oratione Oxonienſis, quam & ille in diverſum ſcripſit, & nos noſtris adjunximus libris, quò eam conferendo cum noſtris omnes intelligant quantum ille a ſcopo aberravit. Hos auximus, ut & libros noſtros de medendi methodo jam tertiò,

tertiò, & denuo typis deſtinavimus. Noſtros eſſe quid attinet occultare; cum nota res ſit univerſo populo; etſi diligenter diſſimulaverim.

Hiſtoriæ item Cantabrigienſis Academiæ ab urbe condita libros duos compoſuimus; in quorum primo diximus cujuſmodi olim urbs ea erat, quos authores habuit, & quas clades & ruinas perpeſſa ſit. In ſecundo quemadmodum jam ſe habeat ea, & omni noſtra memoria habuit, aperuimus. Hos & Londinenſem tum ſcripſimus, cum Collegium noſtrum Cantabrigiæ extruximus. *Hiſtoria Cantabrig.*

De thermis Britannicis librum item unum ſcripſimus. In hoc naturam, uſum & effectum Thermarum explicuimus, & inventionem; cum præfatione benignitatis naturæ huic inſulæ, non in ubertate ſoli tantum, & in affluentia rerum omnium, ſed etiam in his quæ ad humanam ſalutem maximè faciunt. *De thermis Britannicis liber.*

De antiquis urbibus librum item unum, ubi docemus quæ illæ olim erant, quibus nominibus cenſebantur & olim & nunc *Antiquæ urbes.*

quoque quæ nondum interciderunt, facta etiam mentione earum quæ esse desierunt.

De lib. Gal. non extantibus liber.

De libris Galeni qui non extant, librum unum, Græcè conscriptum; unà cum eorum argumentis ex Gal. collectis, ut cum libros non possumus, argumenta habeamus, sic ut in Justino Trogum. Hos nondum emisimus, propediem emissuri.

De libris propriis lib.

De libris denique nostris librum hunc unum, cujus argumentum & scribendi occasionem habes in principio libri. Hunc excudit Londini Gulielmus Seresius typographus anno Verbi incarnati 1570.

Castigatio Gal. operum.

Apparatum etiam nobis fecimus, & veluti commentarium in futuram castigationem omnium Galeni operum Græcorum (sunt enim corruptissima) si fata sinent, partim ex vetustis libris quos istic habemus in Britannia, partim ex antiquis Italiæ libris, quam, ut mores gentis, urbes, atque Bibliothecas viderem, anno Domini 1543. propè peragraveram. Sed præcipuè, ex libris in Bibliotheca sancti Joannis & Pauli Venetiis, bonis quidem illis, sed miserè planè habitis & tractatis. Nam

De bibliothecis Italiæ

rasi

rasi multi sunt, & multis in locis, maximè libri de usu partium, sic ut ne vestigia quidem veræ lectionis superfuerint. Ex libris etiam Bibliothecæ sancti Marci & sancti Antonii ibidem; sancti Joannis de viridario Patavii, quos Bessarion ille natione Græcus, & Patriarcha Constantinopolitanus (si me non fallit memoria) dedit. Ex libris item Bibliothecæ publicæ gentis Mediceæ, apud sanctum Laurentium Florentiæ, ubi inter multos Græcos libros reliquimus Dioscoridis περὶ ἐμπειρίας ἰατρικῆς τῶν ἁπλῶν καὶ συνθέτων φαρμάκων librum: Galeni item librum περὶ ὕδρων unum; in tertium ἐπιδημιῶν Hippocratis Commentaria ejusdem Galeni; περὶ ἰδίων βιβλίων unum; καὶ περὶ τάξεως αὐτῶν unum; καὶ περὶ συνθέσεως φαρμάκων κατὰ τόπους (uti inscribuntur hodiè) πραγματείαν duobus libris comprehensam, ab Angelo Politiano (Leonis Pontificis Romani præceptore) in ruſculo suo Fæsulano septimo Calend. quintiles anno salutis 1497. emptis, ut si quis transcribere eos atque edere cupiat, aut Galeni libros Græcos ad eos emendare studeat,

Bibliothecæ Laurentianæ.

Politianus.

ſtudeat, inde petat. Poteſt autem facilè bona gratia optimi principis Coſmi Medices, in bonarum literarum ſtudioſos propenſiſſimi, cujus toties facio mentionem, quòd nunquam mihi in ea re ſatisfacio. Siquidem nunquam de eo tam honorificè poſſum dicere, quin is virtute ſuperet ſua; tanta erat ducis, ejuſque gentis, charitas in bonas literas atque literatos, atque in hoſpites humanitas. Sunt autem Fæſulæ, urbs Italiæ antiqua, cujus præſidem Feſulanum vocat Salluſtius. Ex ejus ruinis creviſſe ferunt urbem Florentinam, ut ex veteris Romæ cladibus & reliquiis novam. Abeſt Florentia ſeſquimilliario, aut ſummum duobus paſſuum millibus ad ſeptentrionem (ſi bene memini) in monte poſita. Propter antiquam nominis famam viſebamus eam eodem anno 1543. quo die loci feſtivitas erat, & nundinæ celebrabantur. Ex libris demùm bibliothecæ ducis Urbini quædam ſelegimus; quam Federicus dux Urbinas fabricavit & inſtruxit, ubi integer liber Galeni eſt περὶ ἐυπορίσων, inter alios raros libros; & Vaticanæ Romæ, pluribus Græcis

Coſmi Medices humanitas.

Fæſulæ.

Bibliotheca Urbinas.

Græcis quàm Latinis refertæ, in qua vidimus Auguſtinum de Trinitate, Thomam Aquinatem, & Publii Ovidii Naſonis Metamorphoſim Græcè ſcriptos, & περὶ ἀμμάτων Gal. librum; καὶ συναγωγὴν λέξεων παλαιῶν τε καὶ νέων. Ex his præcipuè dico, quòd Ferrariæ in bibliotheca ſancti Dominici, quam Cælius Calcagninus multis libris inſtruxerat, & ſanctorum angelorum, quam Hercules primus Ferrariæ dux conſtruxerat, & ſancti Marci ſanctæque Mariæ Florentiæ, & ſancti Dominici ac ſancti Salvatoris Bononiæ, pauci boni libri noſtro tempore erant. At Senenſi bibliotheca, quam in eccleſia cathedrali Pius tertius Romanus pontifex ædificaverat, prorſus nulli. Senam dico, Thuſcanam illam in Italia, jam celebrem, olim annis videlicet ante Chriſtum 362. a Brenno Anglo Gallorum duce (cui multæ Italiæ urbes ſuam exiſtentiam acceptam ferunt) ſuis ſenibus, veteranis valetudinariiſque militibus, & armentis exſtructam, atque a noſtræ Britanniæ Sena inſula (ut reor) nominatam. Nec ulli memorabiles in

Tho. Aquinas.

Ovidus.

Bibliotheca Ferrarienſis.

Senenſis bibliotheca.

Sena.

Bibliotheca S. Mariæ. istis jam ultimo commemoratis bibliothecis libri erant, præterquam in Philosophia Plinius manuscriptus apud sanctam Mariam Florentiæ; & in Theologia Esdras, ab ipso propheta (ut aiunt) conscriptus, apud sanctum Dominicum Bononiæ. Cum libros dico, Græcos manuscriptos magna ex parte intelligo. Nam eorum præcipua cura fuit. In Academia Pisana jam tum diu deserta, sed beneficio optimi Ducis Cosmi Medices anno salutis 1543. restituta, & novis scholis exornata, bibliotheca nulla fuit, quod sciam; poterit tamen, cum libuerit doctissimo principi, si interea non fuerit. Extra bibliothecas, libros quosdam etiam Pisis vidimus apud Curtium & Pontremulum; ac Ferrariæ apud Antonium Musam Brasavolam, Nicolaum Bonasciolum, Hippolytum Cananum, & Jo. Baptistam Cananum. Nam & istos doctos viros invisebam propter medicinam; ut & Varinum hominem Latinissimum, & Antimachum Græcum, ejus Academiæ humaniorum literarum professores, propter novam de pronunciatione Græcæ

Esdras.

Bibliotheca Bononiensis.

Pisana schola restituta.

&

& Latinæ linguæ perſuaſione. Quos diligenter uſos eſſe veteri pronunciatione (ut & alios Græcos, ex ipſa Græcia oriundos, in lectionibus & officiis divinis Venetiis) obſervabam; quemadmodum etiam Patavii Lazarum Bonamicum, Bononiæ Achillem Boccium & Pompilium Amuſeum, & Venetiis Jo. Baptiſtam Egnatium, inſignem certè virum. Romæ, quòd aſcholiæ ſeu vacationes veteris & novæ ſapientiarum erant, cum ipſe ibi eſſem, nullos prælegentes audiebam. Tantum ibi ſpectabam ruinas veteris Romæ, & ſi qua alia ejus adhuc ſuperfuerant memorabilia & ſpectatu digna monumenta, quæ multa erant; & Bibliothecam Vaticanam (quæ duabus domibus Græcos cum aliquot Hæbraicis, tertia Latinos libros continebat) perluſtrabam. Sed de ejus libris jam antè diximus. In Germania quoque Melanchthon, Joachimus Camerarius, Sebaſtianus Munſterus (quibus omnibus uſi ſumus familiariter) & Lovanienſes quoque omnes quos ego novi & audivi (inter quos erat Hieremas Thriverus Brachelius) ve-

De pronun. Græcæ & Latinæ linguæ.

Roma.

teri pronunciatione uſi ſunt. Quomodo etiam Eraſmum pronunciaſſe & Cantabrigienſes nôrunt, apud quos multos annos egit, & Levinus, Hieronymuſque Frobenius, quibuſcum victitabat, retulerunt. Verum de ea ſeorſum in alio libello multa ſcripſimus, cui titulum fecimus, de pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ cum ſcriptione nova. In quo ſuademus ab antiquata antiquitate, novitate, difficultate, duritate, agreſti ruſticitate, inconſtantia, abſurditate, errore juvenili, incommodo, riſu, contemptu, ruſtica ſimplicitate, infantia puerili, fraude, dolo, prudentum uſu, pace & tranquillitate, turbis & dogmatibus, ſuavitate & lenitate antiquæ pronunciationis, a tempore rei, ætate utentium, vitioſo ſono, nugacitate, authoritate approbatorum ſcriptorum atque gentium, gravitate & levitate perſonarum, inanitate rei, recepta conſuetudine, diverſitate, communi uſu, populari ſenſu, inſolentia, ingloria, æmulatione & contentione grammaticorum, mutatione, offenſione, ſcotiſmo & diviſione, a mutuo commercio,

Lib. de pronunc. Græcæ & Latinæ linguæ.

commercio, ſublato intellectu, uſu & authoritate inſtituentium, atque etiam a turpitudine ipſa, ne quis utatur nova illa & nuper nata ac propoſita pronunciatione; multo minus ſcriptione. Atque hoc quidem candidè, & cum bona charitate; non ſine reverentia in perſonas digniores, & benevolentia ſanoque conſilio in omnes literarum ſtudioſos, qui utuntur ea; cuique tamen ſuum relinquens arbitrium quam velit ſequi. Hæc, cum primum libellum hunc de libris noſtris inſtituimus, hic perſequi decrevimus, ex occaſione peregrinationis noſtræ per Italiam, Germaniam ſuperiorem & inferiorem, atque Galliam, in quibus uſus erat veteris pronunciationis. Verum cum in mentem venit, inſtitutum hic eſſe libros noſtros enumerare tantum, non integros aſcribere, e loco exemimus, & ſeorſum poſuimus; atque ad apparatum in futuram caſtigationem omnium Galeni librorum qui extant (a quo digreſſi ſumus) redivimus. Quæ ut abſoluta & perfecta ante diem meum extremum videam (jam agens annum ſexageſimum,

Ad caſtigationem Gal. operum hortatio.

geſimum, & plus habens ſenectæ quàm ſenii) ſive opera mea ſive aliena, in votis eſt vel maximè. Sunt enim calamitoſa, ſed fortuna magis, quàm culpa ſua. Habent enim genium. Quo magis optarem ut omnes, quibus medicinæ ſtudium eſt, quibus exemplaria Græca ſunt antiqua, conferant operam in commune ad operis perfectionem in communem omnium uſum, librumque quiſque ſuum tandem producat in lucem. Nam ea ſtudiorum ratio certior potiorque ſemper mihi viſa eſt, quæ ex primis in quavis ſcientia auctoribus quod diſcendum ſit eruit, atque idem ut hac illave lingua ſcriptum eſt, ita quidque petit, tum quòd gratius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, tum quòd authorem uſu ſibi familiarem facit. Etenim ut ſua quiſque lingua plus pollet, ſibi conſtat, ſuique ſemper ſimilis eſt, id quod ad evidentiam multum facit, ita & ſuum quæque lingua ἰδίωμα καὶ ἀρρητόν τι habet, quod in alienam transfuſum, nec eandem emphaſim, nec parem gratiam retinet. Ut taceam interpretes quædam aliquando non

Legendi libri quæ lingua ſcripti.

non capere, alicubi dormitare, dictionis fidem non retinere, libertatem refrænare, ſubinde labi, ut homines ſumus omnes, atque ita varietati ſtudere, ut non ſolum obſcuritati, ſed etiam ambiguitati ſæpè ſint. Qua de re ab initio de ſtudiis ita ſtatuimus, ut quæ a primo authore Latinè ſcripta fuere, Latinè; quæ Græcè, Græcè legerentur, quò in judiciis rerum non tam aliis quàm nobis ipſis credamus, & certiori filo, majorique compendio omnia tranſigamus. Ad Latinam editionem omnes convolant, Græcam nemo attigit, ſive quòd majus lucrum ex Latinis eſt propter Latinorum ſtudentium multitudinem, ſive quòd univerſo orbi invideat quiſque ſua, ſive quòd tranſlationis cujuſque ſuæ cauſa ſupprimantur ſua cuique exemplaria Græca ne errores deprehendantur, & haud ſcio ab aliis ne libri convertantur. Quiſque enim hodie pro arbitrio in meſſem alienam falcem ſuum mittit, quod non probo. Equidem doctiores putarem, & majorem gratiam inituros apud omnes, ſi utraque lingua Græca & Latina ſua proferrent, ut

multi

multi docti viri ſolent. Sic enim fieret, ut perfecta ſcientia florerent medicorum ſcholæ, conſervaretur mortalium ſanitas, & in longum tueretur vita cum conſtantia virium (quod omnium medicorum votum eſſe debeat) alioqui brevis & infirma. Habes jam, mi Hatchere chariſſime, deſiderium tuum. Habes de libris meis libellum, quem tua blanda eloquentia ante maturitatem mihi extorſiſti. Qui ſi placeat, bene eſt; ſin minus, at ſaltem tibi amico volui obſecundare. Sine longis procœmiis & ſpecioſis titulis hanc rem peregimus, tum quòd non placeant iſta, ne quid me daturum putes auribus tuis, tum quòd vetuſtas hoc ſcribendi genere uſa non eſt. Inſcribit enim Galenus libros ſuos ad Piſonem, ad Pamphilianum, ad Glauconem, ad Thraſybulum, ad Eugenianum, ad Theonem, ad Baſſum; & M. Cicero ad Atticum, ad Herennium, ad Marcum filium; & quis non ex veteribus ad iſtum modum. Quæ ratio (ſcio) non poteſt tibi non probari, vetuſtatis amatori.

Joannis Caii Britanni de libris propriis

libri finis.

Sed

Sed hoc (libri noſtri ultimum) de civilibus titulis; illud de epilogo tanquam in tabella conſequenter habe, mi Hatchere, in iſto libro contineri ex noſtra commentatione ſeu compoſitione libros

DE medendi methodo duos.
De Ephemera Britannica, duos.
De Ephemera Britannica ad populum Britannicum unum.
De antiquitate Cantabrig. Academiæ duos.
De hiſtoria Cantabrig. Academiæ duos.
De canibus Britannicis unum.
De rariorum animalium atque ſtirpium hiſtoria, unum.
De ſymphonia vocum Britannicarum, unum.
De thermis Britannicis, unum.
De libris Galeni qui non extant, unum.

De antiquis Britanniæ urbibus, unum.
De libris propriis, unum.
De pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ cum ſcriptione nova, unum.
De annalibus Collegii medicinæ Lond. unum.
De annalibus Collegii Gonevilli & Caii, unum.
Compendium Eraſm. lib. de vera Theologia, unum.

Commentarios ſeu Annotationes

In Cornelii Celſi de medicina libros octo.
In Scribonii Largi de compoſitione medicamentorum librum unum.
In Frammigami opera omnia.
In libros Galeni de adminiſtrationibus anatomicis novem.
In ejuſdem libros de motu muſculorum duos.
De ſanitate tuenda ſex.
De ptyſſana unum.
De parva Sphæra unum.
Ad Thraſybulum unum.

De ossibus ad tyrones unum.

Ex nostra versione librum

De placitis Hippocratis & Platonis, primum.
De libris Galeni suis, unum.
De ordine librorum suorum, unum.
De Diæta in morbis acutis, unum.
Nicephori Callisti de confessione in orationibus, unum.
Chrysostomi de modo orandi Deum, unum.
Paraphrasis Erasmi in epistolam S. Judæ, unum.

Ex castigatione nostra libros

De administrationibus anatomicis Galeni, novem.
De motu musculorum, duos.
De ossibus ad Tyrones, unum.
De compositione medicamentorum, decem & septem.
De simplicium medicamentorum facultatibus, undecim.

De

De placitis Hippocratis & Platonis, novem.
De medendi methodo, quatuordecim.
De libris ſuis, unum.
De ordine librorum ſuorum, unum.
De ſanitate tuenda, ſex.
De parva ſphæra, unum.
Ad Thraſybulum, unum.
De Ptyſſana, unum.
De victus ratione in morbis acutis, unum.
De ſuccidaneis, unum.
De ſeptimeſtri partu, unum.
De humoribus, unum.
De brevi deſignatione dogmatum Hippocratis, unum.
De uſu partium, decem & ſeptem.
De locis affectis omnes, additis argumentis ſingulorum.
De febrium differentia, unum.
De morborum differentia, unum.
De morborum cauſis, unum.
De differentiis ſymptomatum, unum.
De cauſis ſymptomatum, tres.
De morborum temporibus, unum.

De

De purgantium medicamentorum poteſtate, unum.
De his qui purgandi ſunt, quibus medicamentis, & quo tempore, unum.
De anatomia Hippocratis, unum.
De diſſectione muſculorum Galeni, unum.
De diſſectione nervorum Galeni, unum.
De medicina libros octo Cornelii Celſi.
De compoſitione medicamentorum librum unum Scribonii.

Ex noſtra inventione librum

Primum de decretis Hippocratis & Platonis Græcum.
De Comate Græcum, unum.
Hippocratis de medicamentis Græcum, unum.
Fragmentum libri ſeptimi de uſu partium Galeni Græcum.
Bonam partem libri de ſuccedaneis.
Et de Ptyſſana quod defuit.

Hiſtoriam Norvicenſem ſcribere decrevimus, & omnia Galeni opera caſtigare, niſi fata prohibeant, & vitæ noſtræ filum interrumpant.

Ultimo verſui hujus libri adjungendum hoc diagramma omiſſum, ut in eo liber finiatur.

Diagrammatis librorum, in quibus ſe exercuit Joannes Caius Britannus, finis.

JOANNIS CAII ANGLI,

DE

Pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ cum ſcriptione nova libellus.

JOANNIS CAII ANGLI,

DE

Pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ, &c.

SCRIPTURUS de nova Græcæ & Latinæ linguæ pronunciatione & ſcriptione nova, ſpero me ſine offenſione cujuſquam id facturum. Liberal enim regio hæc ſemper fuit, & liberos in ea oportet eſſe homines. Neque enim quæ ſoluto animo familiariter ſcribi conſuerunt, temporibus iſtis excluduntur; etſi plena gravitatis omnia ſunt. Non enim ad graves aut exercitatos, ſed leves & inexercitatos, ſcribo; & eos ratione & uſu doceo, quos nec uſus nec longa vita inſtituit, *Lege lector & judica.*

ſtituit. Cum eſſem in Italia, graves viros graviter & cum decoro pronunciantes audiebam. Cum in Britanniam veneram, novos viros novo quodam pronunciationis genere omnia perſonare offendebam. Hîc itaque ſic cogitabam apud me, cum nec Romæ, nec in univerſa Italia, imò verò cum neque in Germania, Gallia, neque Belgia, nec alibi gentium, quàm in noſtra Britannia ullum unquam verbum de pronunciatione illa nova, ullave mentio aut ſignificatio tum fuit, novam pronunciationem alibi in uſu non fuiſſe quàm in Britannia certò ſcire licet. Neque ea tamen univerſa, ſed certo quodam loco, in quo per ea tempora oratores novi imperabant. Sic tamen hæc refero, ut eos propter literas aliaſque virtutes vehementer amem & ſuſpiciam; propter hæc verò laudem minimè. Cujus rei alioqui certè me cepiſſet admiratio, cum & Plautus ſcribat in Caſina, vetera novis eſſe meliora, ideoque ſapientiores eſſe qui utuntur vino veteri, quàm qui novo; qui veteres ſpectent fabulas, quàm qui novas; qui vetera

opera

opera atque verba, quàm qui nova; qui uſitata, quàm qui inſueta; qui veteres comœdias, quàm qui novas; qui veteri denique nummo, quàm nuper nato. Thus quoque vetus novo odoratius eſſe, proverbio celebratur, uſque adeò ut idem, rem malam, ſed notam & uſitatam, optimam eſſe dicat in Trinummo. Nam quæ nova ſunt, etſi optima, tamen propter inſolentiam videntur peſſima, & fieri poteſt ut uſu experiaris talia cum periculo, cum declinare non ſit futurum integrum. Etenim ſæpè viatorem nova non vetus orbita fallit. Quare vetuſtatem ſuo loco conſervandam, novitates, etſi ſpem meliorum afferant, repudiandas eſſe Plautus conſulit; nec novitates nos magis ad inquirendas cauſas excitare, quàm magnitudines rerum debere; eoſque errores, quos rerum novitates attulerunt, naturæ ratione depellere oportere M. Tullius exiſtimat. Sed noſtrorum hominum eſt, ſemper novum cribrum novo paxillo primos ſuſpendere, & novas inducere ſectas novis paradoxis. Quod tamen, ut non repre-

henderim ingenii exercendi cauſa in tenebris, ita non laudem certè uſus cauſa in luce; quòd præter conſuetudinem patriæ præſentis temporis atque hominum ſunt. In rebus civilibus dico. Nam aliò non pertinebit oratio mea. Curo enim ut mea omnia nullam habeant publicam offenſionem, ſed communem omnibus utilitatem. Quod ſi gaudeas excogitaſſe quod profit, certè hic non eſt gaudendum tibi, obeſt enim magis quàm prodeſt, ut mox oſtendam. Sed omnes obſtrepunt. Quid ſolus ergo contendis? Si irrident, quid pergis delirare? Quid ſolus ſapis? Sed author es ejus rei. O glorioſam rem, inventorem eſſe inanium rerum! tranquillitatis literariæ perturbatorem eſſe! quem nec Galli, nec Itali, nec ipſi Græci commendant; nec alius quiſquam præter imperitum rerum juvenem aut temerarium adoleſcentem, cui iſtam perſuaſionem in principio per fraudem inſtillaveris alioqui non probaturo, imponens imperitæ turbæ adoleſcentum, cui vix literæ ſunt, & multò minus judicium. De qua re tamen multum

forſan

forſan gloriaberis tanquam in re prudenter geſta. Jam verò ſi magna res non ſit utro modo pronuncies, cur interturbas omnia? cur non intermittis quod leve eſt, potius quàm caſtigare graviter? Si ſonus (res inanis) hujus aut illius literæ mulctam indictam habet grandem, cur non inanitatem potius contemnis, quàm in mulctam incidas? Leviſſimis rebus graviſſimas indicere pœnas æquum eſt, non propter magnitudinem rei quæ levis eſt, ſed propter violatum in repub. ordinem receptum jam & confirmatum, propter contemptum, propter novitatis exemplum, & propter temerarium in ea auſum. Neque hic tanta pretia ſubeſſe cernimus, quamobrem tantas difficultates lubenter ſubiremus, etſi in aliis difficilia quæ pulchra. Licèt enim optima quæque & inventu & conſervatu difficilia obſerventur, non tamen quæ non facilè inveniuntur & conſervantur ſtatim optima reputantur, in quo genere iſta tua eſt (ſi diis placet) pronunciatio. Sed antiquitatem objicis. Antiquata eſſe fatebor certè, antiqua videri non fatebor. Nam

Aulus

Aulus Gellius author gravis, antiquata & desita omnia, a multis sæculis in usum revocata etsi vetusta sunt, videri tamen nova sapienter censuit. Etsi antiqua videantur, per hominum errorem id quidem contigit, ignorantium cujusquam rei proprietatem. Sallustius præsentium rerum retinentissimus semper consuetudini cessit. Ælius Gallus atque Cicero nova perpetuò fugiebant, adeò ut novissimus & novissimè haud libenter usi sunt. Gellius reprehendit eos qui obsoleta in usum revocant. Phavorinus Philosophus novitatis hostis, adolescentem inusitatorum studiosum acriter corripuit, dicens; Curius & Fabricius dilucidè cum suis fabulati sunt, neque Auruncorum, Sicanorum aut Pelasgorum (qui primi Italiam incoluisse leguntur) sed ætatis suæ verbis locuti sunt; tu verò, perindè quasi cum matre Evandri nunc loquaris, verbis jam olim desitis uteris: Quod si intelligi non vis quæ loqueris, non hoc abundè consequeris tacens? quasi satius esset non loqui quàm non intelligi. Demonax quoque philosophus idem

idem faciebat. Quum enim a quopiam quæſiviſſet aliquid, atque ille verbis obſoletis atque priſcis reſponderet. Ego (inquit) amice te nunc percontor; at tu perinde reſpondes quaſi regnaret Agamemnon. Sorbona etiam (quam Robertus Sorbona, non Caroli imperatoris frater, Theologis Lutetiæ inſtituerat) aliquot Raimundi Lullii opera rejecit, quòd vetuſtis vocabulis jamdiu receptis & uſitatis rejectis, nova infulſerit. Craſſus Sulpitium arguebat, quòd tollendo i. literam de dipthongo ei, non antiquos oratores, ſed ruſticos meſſores videretur imitari, ut eſt apud M. Tullium 3. de oratore. Catullus Arcii hinſidias atque chommoda deridebat; quid facturus ſi Quinctilianos atque Quinctios, ut nunc loquuntur atque ſcribunt, Chicherones atque Quinctos, Kikerones & Kicherones, pecuniam & peguniam, coilum chœlum & cœlum, cernos & chernos, diſcipulos & diſchipulos jam audiret; quibus multi hodiè utuntur loquendo & ſcribendo, ſermonis atque ſcriptionis vitia imitati, non virtutes conſecuti. Ad hæc

Lacedæ-

Lacedæmonii, quòd ſimplicia atque conſueta placuerunt, Terpandrum præſtantiſſimum Citharœdum mulctâſſe dicuntur, quòd unam ſolam chordam præter neceſſitatem intendiſſet. Ad extremum Romani rhetores Latinos & philoſophos edicto urbe Roma pepulerunt, quòd novum genus diſciplinæ inſtituerunt. Nova enim Romanis, viris certè in omni re ſapientibus, quæ præter conſuetudinem & morem majorum ſuorum illata ſunt, neque placuerunt, neque recta videbantur. Eam ob rem M. Cicero in oratione contra Catilinam refert, Servilium Halam Sp. Melium novis rebus ſtudentem ſua manu occidiſſe. Nihil enim periculoſius in uſu vitæ eſſe rebantur, quàm veteribus relictis ad nova devolare. Nam inconſtantia magnam ipſa in ſe levitatem habet, ſubitaque conſuetudinis & uſus commutatio plena maximarum rerum offenſione eſt. Quamobrem ſapienter M. Cato, qui Appium cæcum laudat, quòd vigebat in ejus domo patrius mos & diſciplina. Sapienter veteres, qui legibus antiquis, opſoniis verò recentibus

Cic. de ſenect.

recentibus utendum cenſuerunt. Sapienter & Juriſconſulti, qui nihil temerè innovandum, niſi evidens ratio poſtulaverit, præcipiunt. Hinc factum exiſtimem, ut ſcholæ juris noſtri publici nullo modo adduci poſſunt, ut relinquant ſuum octabis, nec ſcholæ quædam Academicæ ut deficiant a ſuis ſotulis, cum artium magiſterio initiandi ſunt; aut ocreis, cum SS. Theologiæ Doctoratus gradu inſigniendi ſunt; aut ovis vario modo præparatis, cum in determinationibus Bacchalaurei novitii ſeniores ſui gradus conviviis excipiant; nec in diſputationibus, ſedentibus diſputatoribus, ut auditores humi non procumbant, fuſi per denſum ſubſtratum juncum; nec ut caputium patientiamque quam vocant ſtamineam (peculiare geſtamen collegis Hiſpanorum Collegii apud Bononienſes) deponant Hiſpani Bononienſis Academiæ. Quos omnes laudo equidem, quod levibus momentis non impellantur huc atque illuc inconſtanter, nec a veteri ſua conſuetudine avellantur, deſciſcantque facilè; ut nonnullæ ſolent Academiæ, in quibus levitas juvenilis

juvenilis magna parvis, quadrata rotundis, & formas formis mutat imprudenter admodum, nullo ſervato ordine, nulla conſuetudine aut gravitate. Certè mihi videntur illi planè cuculi atque oves, qui eos, qui ut homines pronunciare jamdiu uſi ſunt, abolitis cuculorum atque ovium vocibus, eodem revocare velint, atque ex obſcuris ænigmatibus & antiquis cum difficultate diſcere ſtudeant, quæ viva vox, certus præſenſque uſus cum facilitate clarè poſſunt docere. Syneſius Cyrenenſis in laudatione Calvicii, & Lacedæmonii in legibus, graviora ſuadent in eos qui præter conſuetudinem patriæ aliquid intulerunt; puta cicutam, & ſuſpendium. Etenim Syneſius eos qui præter conſuetudinem patriæ aliquid innovârant, cicuta dignos exiſtimat; quod rudes & indocti abſurdarum opinionum fautores eſſe conſuerunt, exiſtimans cum proverbio: Superiorum temporum omnia meliora, quòd & uſu confirmata ſunt, & pace tranquilla, cujus & vox dulcis & res ipſa ſalutaris eſt. Lacedæmonii verò uſque adeò formidabant

rerum novitates, atque etiam ad earum recordationem tantopere inhorreſcebant, ut lege lata ſanciverint, ne quis innovare quicquam auderet, qui chorda e collo ſuſpenſa prius non prodiret, ut ſi de novitate conſilium parum placeret, audaciæ ſuæ pœnas daret. Etenim eventus varios res nova ſemper habet, ut Cornelius Gallus ſcribit, & magna ex parte periculoſos; ſic ut ſive vi imperare velis hanc pronunciationem novam, ſive ſtultitiæ blandimentis juventuti inſtillare, importunum hac ætate facis, movere quæ ſtabilita ſunt, cum præſertim omnium rerum mutationes cædem, fugam, aliaque hoſtilia (ut Salluſtius ait) portendant. Uſque in civilibus conſiſto, omnia enim ſecundum materiam ſubjectam intelligo. Ex quibus ſcire licet neque antiquata in uſum eſſe revocanda, neque nova eſſe amplectenda, neque extra publicam viam eſſe deflectendum, ſed cum pronunciationis antiquitas evanuerit (ſi aliter olim pronunciârunt quàm hodiè nos proferimus) uſum ſcientiamque præſtare nos debere ejus, qua præſentes

De bello Jugurth. fol. 35.

ſentes utimur; uti docti viri ſolent, qui ſcientiam ſibi reſervant, uſum autem loquendi populo concedunt, qui loquendum ut multi, ſentiendum ut pauci ſapienter præcipiunt, nec immutandum quicquam inconſtanter cenſent; nec movenda eſſe rerum novitatibus quæ bene conſtituta & confirmata ſunt exiſtimant, etſi vetuſtatis ſpeciem ſibi induant. Etenim non eſt quamobrem in hac benè confirmata repub. literaria quis velit jam dicere, ore ſanè agreſti atque rudi, *queis* pro *quibus*, nec *veias* pro *vias*, nec *olli* pro *illi*, *mareito* pro *marito*, nec *maxumè* pro *maximè*, nec *ſueverat* pro *conſueverat*, nec *deico*, *eidus*, *pulchrai veitæ*, *ubei*, *quei*, *heic*, *fæminai*, *ſuom*, *deilexit*, *horunc*, *abei*, *erodita*, *pictai*, *aulai*, *nepai*, quæ jam obſoleverunt, & repetita moleſta ſunt, & interturbant omnia, pro *dico*, *idus*, *pulchræ vitæ*, *ubi*, *qui*, *hic*, *fœminæ*, *ſuum*, *dilexit*, *hunc*, *abi*, *erudita*, *pictæ*, *aulæ*, *nepæ*, ut nec multa alia propter carminis neceſſitatem, aut aliis propter affectationem, non propter meliorem ſcribendi aut pronunciandi rationem uſitata.

Neque

Neque enim propter insolentiam aures eruditorum hæc ferre possent, nisi quod Poetis libero hominum generi propter eorum ligatam orationem semper fuit potestas quidlibet audendi. Exit in immensum facunda licentia vatum, inquit Ovidius, Obligat historica nec sua verba fide. Hinc apud eos, Tmolus habet aures, saltant quercus, aves loquuntur, & saxa fiunt homines. Utuntur tamen hodiè haud dissimili pronunciandi genere, quod Borealismum seu Scotismum nominamus (quemadmodum Alcibiades Labdacismo) quia Borealibus Anglis (quos Calidonios Britannos Lucanus vocat) atque Scotis vicinis est in usu, dum *saibai*, *taibai*, *vaita*, *aita* dicant, cum *sibi*, *tibi*, *vita*, *ita*, pronunciandum sit. Mordicus tamen retinent non ratione, sed pertinacia, & petulantia; etsi australibus Anglis ita vulgo contemnitur hoc pronunciationis genus, ut Phaliscis seu Thuscis Bergomense apud Italos. Est enim rudis & inconditi vulgi, quibus ut est decorum patrio more loqui, ita australibus Anglis valdè indecorum alio

uti quàm ſuo. Licet tamen hic contemplari judicium juventutis, quæ vitia pro virtutibus amplectitur, ut ſolet vulgus Aulicorum, qui camiſias criſpatas, & cothurnos coreaceos inducunt ornamenti cauſa, qui principio cauſa contegendi crura, & colla morbida, ad quotidianum uſum ſunt inventa. Nam olim & noſtra memoria cum ſana eſſent omnia, nec cothurnis utebantur, & denudata virorum colla erant ad pectus, & pectora expapillata (ut Plauti verbo utar) atque ad papíllam denudata, etiam brumali tempore. Sed hæc obiter de Borealiſmo. Ad diphthongos jam paucis venio. De quibus etiam Juriſconſulti aliter ſentiunt, quàm novi iſti pronunciationis authores. Theophilus enim Anteceſſor cum vellet uti aliena lingua, non πραϊτωρ dixit diviſa diphthongo, ſed πραίτωρ & prætores unita. Cujus rei non alium magiſtrum, quàm ejus temporis uſum reor; qui & ad noſtrum uſque promanârit, & per omnem orbem diſſeminatus & receptus eſt. Quod ſi non lubenter ferant, quin diphthongorum omnes literas ſuis ſonis

ſonis ipſi exprimant, contra quàm vult receptus uſus, quod voluntatis & petulantiæ error eſt, non neceſſitatis, at ſaltem aliis permittant ut in ſua etiam ſit voluntate ſine reprehenſione veteri & recepto more pronunciare, maximè quod multi errores reperiantur apud authores (ut aiunt) ex diphthongis reſolutis in ſimplices literas. Novi tamen iſti homines neſcio quam commoditatem puerilem in docendo pueris manare ex hac ſua pronunciatione dicunt. Quaſi verò Græcorum pueri, & qui hodiè utuntur veteri pronunciatione, linguam Græcam diſcere, ſonare, & intelligere veteri illa nequiviſſent, aut ſi quiviſſent, non ita tamen commodè. Scilicet? Equidem puerile magis exiſtimo quàm virile, puerileque eſſe argumentum puto. Nam ſi commodior ratio ſit (ut ita dem) non tamen vetuſtior eſt, quæ res in controverſia eſt, minuſque arguit veteres ſic pronunciâſſe, nec eſſe puerorum cauſa immutanda omnia aut ſubvertenda cenſeo. Id enim experimento didici, varietatem pronunciandi mutuum commer-

cium & ſocietatem hominum rerumque intellectum ſummovere; diſcordemque hanc pronunciationem ſermonis commercio nunquam contracturam ad colloquia. Neque enim Græcus Patriarcha, cum iſtic regnante Edwardo ſexto Londini eſſet, Checum, nec Checus Patriarcham intellexit; hic novo, ille veteri pronunciandi modo uſus; quo omnes Græci adhuc utebantur, cum ego eſſem Venetiis, tum e Cathedra Græcas literas profitendo, tum in templis ſacra celebrando. Audiebam enim data opera ſæpius. At ſi ego tacerem, nôrit Oxonienſis ſchola, quemadmodum ipſa Græcia pronunciârit, ex Matthæo Calphurnio Græco, quem ex Græcia Oxonium Græcarum literarum gratia produxerat Thomas Wolſæus, de bonis literis optimè meritus Cardinalis, cum non alia ratione pronunciârit ille, quàm qua nos jam profitemur. Id ſi ita ſit, nos Britanni docebimus ipſos Græcos in ipſa Græcia oriundos ſua verba ſonare? ſuas voces atque literas pronunciare? & plus in aliena lingua ſapiemus quàm ipſa gens atque natio,

natio, cui lingua Græca familiaris atque etiam vulgaris eſt, & ſucceſſione temporum continuata, tanquam per manus eſſet tradita? Nemo qui Gallicè velit diſcere, ex Anglo petet, ſi ſapiat, nec contra; nec qui Italicè, ex Germano, ſed ex ſua quæque gente ſunt diſcenda. At ſi pueris inſtituendis prodeſſe poſſet, uti aiunt, uſu publico poſſet, ut cum aliis uſu conveniant in ſermone ad intellectum. Nam ſi doceas quod uſui publico eſſe non poſſit, quorſum doctrinam? Cogetur qui didicit dedidiciſſe, & eum pronunciandi modum diſcere qui in uſu eſt, ut eo utatur cum in publicum prodierit, cum inter homines verſatus fuerit, & cum in theatrum doctorum venerit; niſi velit haberi ineptus & ridiculum caput omnibus. Et qui docebit quoque ad iſtum modum, duplicabit operam & mercedem, uti Fabius Quintilianus ſcribit, tum ut prioris obliviſci inſtituat, tum ut inſequentis pronunciationis rationem oſtendat, diſcentis incommodo & labore gravi, & temporis & compendii jactura graviori, quæ rectius in principio

potuiſſent collocari in meliores uſus. At ad uſum publicum profuerit minimè. Nam privata hæc pronunciatio paucorum tantum hominum in Britannia eſt, & eorum juvenum, alibi minimè recepta gentium. Sed hi pauci ſic pronunciant, ut ſe mutuò intelligant, dices. At orbis univerſus non eſt iſta paucitas. Nec paucis privato loco atque uſui doctrina conſtituitur, ſed publico & univerſo, ut inter homines cujuſque regionis cum laude linguæ, & ingenii gloria verſeris. Quamobrem ne docendo quidem, ullo modo ad uſum publicum conducet iſta nova pronunciatio. Hactenus ergo vetus illa pronunciatio nihil prohibuit, quin & rectè loquerentur homines, & per orbem univerſum intelligerentur, ſic ut non ſit opus nova. Sed ita pronunciandum ſentis ut diſcernas inter voces, inter vocales & diphthongos. Quaſi verò uſu, doctrina, ſenſu, accentu, genere, quantitate, numero & caſu nihil comprehendi, nihil diſcerni poſſit, niſi demittamus nos, deſcendamuſque ad puerilem legendi ſimplicitatem, ac plenis buccis proferamus

ſatis

ſatis ruſticè, Φοῖβος, *toutois, cai, lobois, mouſais, baſileus, epeiros, tuptomai, chreia, chreſimos, apophugen, huſteron, kibdes, cuclops, korakeion, lewcon, hippewein, wyos, pais,* & hoc genus alia; pro *phœbus, toutis,* (veteri more) *cha, louis, muſæs, vaſileus, epirus, typtomæ, chria, chriſimos, apophygen, yſteron, cibdis, cyclops, coracion, leucon, yppewin, yios, pæs,* unde pædotriba, non paidotriba; aut quaſi nihil aliud eſſet quo dijudicaremus inter parere pro parturire, & parêre pro obedire in iſto verſu, Fœmina vult parere, ſed non parêre lubenter, niſi craſſa pronunciatio; eadem penè nota qua λοιμός & λιμός in pronunciatione, non tamen in ſcriptione. Nam inter λοιμός & λιμός in ſcribendo manifeſta eſt differentia. Apollo tamen videtur limos dixiſſe & pronunciâſſe veteri Græcorum more, alioqui nulla fuiſſet dubitatio in oraculo. Certè antiqui *Achilles, Tydes, Theſes, & Uliſſes* dicebant, non *Achillews, Tudeus, Theſews, & Uluſſews* quemadmodum recentes; uti ex eorum & interpretum libris ea adhuc referentibus ſcire licet. Quod ſi olim

Græci eo quo recentes iſti modo craſſius, durius, & aſperius pronunciârunt (quod acerrimè iſti defendunt, cum dicunt Græcos) etiam tum Græci erant Barbari, cum ex omnibus gentibus ſoli non habebantur Barbari. Barbari enim ab initio dicti ſunt (ut inquit Strabo) qui craſſè, difficulter, aſperè atque duriter loquebantur; in quorum genere fuerunt omnes gentes præter Græcos; a quibus poſtea (corrupta Græcia) barbara ea appellatio ad omnes præter Latinos tranſlata eſt, quòd mitiorem linguam & iſti habebant & magis cultam. Si quis tamen ex Latinis eſſet, qui non rectè verba proferebat, barbarè loqui etiam ille dicebatur. Sed pergo. An ſapientem Hebræum putares, ſi puerorum cauſa renunciata omnino perfecta illa & abſoluta ſine punctis legendi ratione, ad punctorum rationem & ſimplicitatem in univerſum deficiat? An non omnes tanquam infantem & ineptum dicerent? Niſi velit primùm ſuos Tyrones per punctos ad lectionem introducere, ac tum ad abſolutam illam legendi rationem ſine punctis traducere:

cere; quod laborioſum eſſet gemimique operis. Rurſus an ſapientem Gallum, qui rudiorum cauſa velit rudius pronunciare, & aliter quàm vulgus Gallorum ſolet, & eas literas in voces inſerere, quas uſus excludit. Doctos enim docta decent, indoctos formare poſſunt docti pro arbitrio, ſeorſim, ſine univerſitatis diſſolutione, & ita inſtituere prout optimum cuique videbitur, modò non deficiant a conſuetis, nec in dicendo & ſcribendo novas turbas excitent, nova dogmata non introducant cum reipub. literariæ inquietudine, & perſonarum offenſione. Ut ſi quis vellet docere privatim legendum *homo* non *omo*, & *hupſilon* non *ypſilon* vel ipſilon, ferendum fuit, modò doceat admonendi non utendi cauſa (ut prudentes ſolent qui (ut dixi) ſcientiam ſibi ſervant, uſu autem ut populus loquuntur) quod h. non ſit litera, ſic ut faciat vocem ut vocalis, aut liqueſcat ut liquida, aut conſonet ut conſonans, aut mutet ut muta, ſed aſpiret tantùm ut ſpiritus, ac ventus levis ſine voce. Eam ob cauſam apud ſcriptores veteres leges *ydropiſis*,

termæ, Batonia & Ivernia, pro *hydropiſis, thermæ, Bathonia & Hibernia*, uti in libro noſtro de thermis Britannicis, & Symphonia vocum Britannicarum annotavimus. Iſtas tamen ineptias, Deus bone, quàm mordicus retinent novi iſti & defendunt (ut ſibi quidem videntur) pertinaciter, cum nullo tamen modo juſtis rationibus poſſint. Juvenes ſi hîc ineptirent ſolùm, duce juvene, ferendum fuit. Jam verò cum audiam ſenes delirare his ineptiis, quid intolerabilius? Nam hos judicium, ratio, & experientia doceret. Præterea in ſenecta ætate ludere par impar, equitare in arundine longa, quovis vento agitari, nihilquè conſtantis hominis habere indecorum eſt. Cicero in Bruto notat ætatem quæ ante ſe fuit, in qua Ennius, Livius, & L. Siſenna erant, quorum ſtilus erat (ut ille ait) horridior, nec dum perfectè loquebantur. Sua autem ætate unctior & ſplendidior conſuetudo loquendi fuit. Et quamvis (inquit) L. Siſenna facilè omnes vincat ſuperiores, indicat tamen quantùm abſit a ſummo. Nam uſus eſt aliquando

quando veteribus verbis, & ab uſu perfecto, & auribus eruditis remotis. Rectè enim loqui putabant eſſe, inuſitatè loqui. Idem eodem in Bruto nimiam vetuſtatem explodendam monet. Sed nimia (inquit) vetuſtas nec habet eam quam quærimus ſummitatem, nec eſt ſanè tolerabilis. Ego igitur hortator eſſem, ut a ſuſcepta hac nuper (ſi omnino ſuſcepta fuit) deſitaque olim pronunciatione deſiſtant, qui utuntur; ſi non propter has quas ante retuli cauſas, at certè propter hæc quod eadem pronunciatione honeſtiſſima verba turpiſſimè ſonent, ut *aſcitum & aſciſcunt* apud noſtros. Etenim in harum vocum prima, ſi c. proferas ut ch. & in ſecunda utrumque c. ut k. more novo, utrumque vocabulum tanta turpitudine proferetur, quanta non ſinit verecundia mea explicare. Quamobrem malui rem tacita cogitatione præterire, quàm dilucidius patefacere; cupio enim rebus adeſſe nomina, ſed non nominibus pudorem. Sed ſupercilioſorum Grammaticorum maximè culpa hæc pronunciatio Latina introducta eſt, cùm neſcio

cio qua æmulatione alter alterum novitate aliqua ſtudeat ſuperare. Id quod exemplo cujuſdam amici adhuc viventis, qui in ſchola Paulina atque item Antonina Londini educatus jam olim eſt, didici. Etenim cum in ludo literario divi Pauli erat, docebatur ſonare docheo pro doceo; cum in ſcholam S. Antonii idem venerat, juſſum eſt proferre dokeo pro doceo; nullo planè diſcentium commodo, ſed ne docentium quidem; tantùm inſervitum eſt iſtorum libidini, quorum præceptum id erat, pronunciationis vitio, & pubertatis incommodo. Itaque imponendus modus eſt, alioqui nullus futurus finis eſt, hoc iſto, illo alio modo verba proferente atque ſcribente. Nam & in ſcriptione quoque nova ratio hodiè proponitur. Sed nemo (quod ſciam) uſque adeò deſipuit hactenus ut ſequi vellet, ne author quidem ejus; Neque enim cæcum ducem, neque amentem conſultorem. Quod ſi quis vellet, at conſtituenda illi ſchola nova ſcribendi & legendi fuit, dediſcendaque quæ didicit omnia, & innovanda omnia omni populo,

everſis

everſis quibus hactenus uſi ſumus omnibus; uſque adeò mobilia ſunt hodiè hominum ingenia in iſtis nugis, ut nihil fixum, nihil in perpetuum conſtitutum habeant. Nec unum nugandi genus eſt in ſcribendo, ſed diverſum, hic uno, ille altero uſus modo; hic novam literarum formam & pronunciationem commentus, ille alteram; & eas ineptas ſane & inſulſas, etiam ſimplicibus mulierculis. Non eſt tamen tam ſtupidus quiſquam, aut impudens & inſulſus rei alicujus novæ author, qui non ſit habiturus ſuæ ſtultitiæ fautores & ſectatores, vel homines adoleſcentes, vel ſtultam plebeculam; at gravem virum, cui ſit judicium, ne unum quidem. Niſi ſi fortè ingenii ſui oſtentandi cauſa hoc fecerint, ut Iſocrates laudando Buſyrim, Libanius Therſitem, Lucianus Muſcam, Quartanam Favorinus, Calviciem Syneſius Cyrenenſis, Comam Dion Chryſoſtomus; & noſtri ſæculi Cornelius Agrippa ſcribendo de vanitate ſcientiarum libellum; Copernicus de motu terræ & ſtatione cœli volumen; & Eraſmus Roterodamus de febre

bre & Phalariſmo libellos. Nam rhetores ſubinde animi cauſa ſolent tractare materias ἀδόξας, & exercendi gratia argumentum infame declarare. Ita ſi de pronunciatione nova & ſcriptione nova ſenſiſſent novi iſti authores, & cum præfatione ſenſus ſui hoc eſſe ſuum commentum dicerent, non ad uſum atque profeſſionem, ſed ad ingenii gloriam & exercitium, æquior eſſem, amplectererque certè lubens. Alioqui videant illi, quàm nihil aliud quàm ſuam traducant infantiam, nec eſſe conſecuturos aliquando ut gravia ingenia flectant ad ſuas nænias. Reliqua ſi ſequacia fuerint, quæ gloria erit? Mallem unum gravem virum conſentientem mihi mille juvenibus; ut quibus nec dum per ætatem confirmatus animus eſt, nec maturum judicium, nec uſu experimentum, etſi graviſſimè de ſe ſentiant; cum tamen veſtitu, geſtu, & oratione longè ſe oſtendant alios, ut in lib. 1. de Antiquitate Cant. Academiæ plenius diximus. Nam ut in viis peregrinus, ſic in rebus imperitus. Certè iſtis novitatibus, iſtis modis, nihil aliud quàm ſterilis labor, ſteriliſque

ſterilíſque difficultas ſequitur in promendo cum multorum riſu; quòd ea ruſtica ſit & ſimplex, parum condita & delicata, affectatione quadam ineptè acquiſita, nec erudito ore digna; denique quòd doctas aures vehementer offendit, ingrata planè & odioſa omnibus, præterquam novitatis ſtudioſis. Nam ſuavitatis in ſermone politiores ſcriptores ſemper fuerunt obſervantiſſimi. Siquidem major ratio apud eos euphoniæ fuit, quàm diſciplina regulæ. Hinc Græci angelos, phormingos, & papæ proferre, præcepto uſuque imperârunt, cum ἀγγέλος, φορμίγγος, & βαβαὶ rudius proferendum alioqui fuit; & Romani *dingnum* cum *dignum*, *pungnum* cum *pugnum*, & *mangnum* cum *magnum* ſit dicendum; ut mitigetur pronunciationis difficultas, & evitetur ſoni vitium, quod Græci κακοφωνίαν dicunt. Quin & Itali Romanorum ſoboles eadem de cauſa id pronunciandi genus adhuc obſervant, qui ne magnum dicant duriter, maignum ſonant molliter; & dingnum, ne dignum. Britanni quoque atque Galli Romanorum

æmuli,

æmuli, ne magnum dicant, main proferunt, ut *Charles le main*, Carolus magnus; *le main ſee*, magnum mare; & in alearum uſu, *the main chance*, ſors magna; ac pro *eſt*, &, eliſa ſ. litera. Eadem ſuavitatis ratione iidem omnes B. per v. in Græcis & Latinis dictionibus efferunt; & pro ϐικίς (id eſt ἀφακῆς) vitia, & pro Bienna Vienna, & pro ϐίκτορα victorem; & pro Abellana Avellana, non è contra dicunt. Et in vetuſtioribus Græcorum codicibus manuſcriptis rarò videbis b. literam, ſed ejus loco characterem v. Latinæ literæ ſimilem. Latini quoque vetuſtiores Vetonica pro Betonica dicunt, inter quos eſt Apuleius; & *Ivernia* pro *Hibernia*, & *lavoro* pro *laboro*, & *terra de Lavoro* pro Laboriæ, (quo verbo Plinius utitur) quæ pars eſt Italiæ. Hos ſi damnes, utere licentia pro me, & in uſum quoque revocato, ſi libet, *appludam* & *floces vini*, pro furfuraceo pane, & fœcibus vini; Dubenum pro Domino, Bubſequam, Bovinatorem, & manticulatorem quoque, pro Bubulco, conviçiatore, & clanculario fure, ſeu verſuto;

ſuto, ut habet Feſtus Pompeius, Pacuvius, & Aulus Gellius, & hoc genus obſoleta & inuſitata omnia, quod nemo ſanæ mentis faciet. Sin probes, a novo illo pronunciationis genere vel horum exemplo deſiſte. Illud in univerſum te ſcire expedit, pronunciationis rationem dicendi rationi eſſe ſimillimam, quæ in medio poſita (ut ait Cicero de Oratore) communi quodam in uſu atque in hominum more & ſermone verſatur. Nam ut in cæteris artibus id maximè excellit, quod longiſſimè ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuque ſejunctum, ita in dicendo vitium eſt vel maximum a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communi ſenſus abhorrere. Etenim qui ad populum ſcribit vel loquitur (ut inquit Syneſius) neceſſe eſt illum in opinione popularium eſſe, & ea fingere, & de hiis diſſerere quæ populo grata ſunt. Atque ut hiſtrioni actio, ſaltatori motus non quivis ſed certus quidam eſt laudabilis; ſic in pronunciandi & ſcribendi genere, certum quoddam & communi uſu receptum, non quodvis a con-

De laude Calvitiei.

ſuetudine alienum & remotum habetur conſentaneum. Non enim ea ratio eſſe debet apud nos in literis quæ in veſtibus, quæ omnibus horis aliæ penè fiunt & diverſæ, aut materia, aut forma, aut colore, aut omnibus hiis. Unus enim vultus apud nos odioſus eſt. Cujus rei gnari non inſolentes Grammatici, quotquot hactenus mihi vidiſſe contigit, omnes cum de literarum poteſtate tractant ita proferendas eſſe præcipiunt, ut uſus doctorum per omnem reliquum orbem jam olim receperit. Inter quos Petrus Anteſignanus eſt, homo doctus atque elegans, & Nicolai Clenardi ſcholiaſtes. Is de nova iſta pronunciatione ita cenſet, ut ejus authores curioſos magis exiſtimet, quàm veteris pronunciationis intelligentes; & eorum rationes vaniores, quàm ut eis adhibenda fides ſit, ob idque pronunciandum veteri & recepto hactenus uſu, exiſtimans eum qui ex errore imperitæ Juventutis pendeat, in magnis viris non eſſe habendum. Ejus verba hæc ſunt. Quarta columna &c. elementorum poteſtatem complectitur, quo pacto

ſcilicet

ſcilicet debeant enunciari, de qua re variæ ſunt hodie & multiplices Grammaticorum opiniones, dum quidam curioſè nimis ad antiquam pronunciandi rationem omnia volunt revocare, cum tamen ipſi prorſus incerti ſunt, quo pacto priſci illi hæc pronunciârunt, & conjecturæ ſunt admodum jejunæ. Illis itaque non eſt fides adhibenda, niſi prius priſcorum aliquem ab inferis excitârint. Hæc ille. Et paucis interpoſitis, iſta ſubjungit. Qui verò illis (profeſſoribus) deſtituuntur, & proprio marte linguam Græcam diſcere coguntur, pronuncient elementa Græca more Latinorum Græcis in hac tabula reſpondentium. Quæ certè pronunciandi ratio vetus eſt, & recepta uſu. Hujus opinionis quoque olim per juventutem (quod ipſe novi) erant iſti præceptores novi. Verùm loco ſtare neſciverunt, ſed greſſus glomerare ſuperbos voluerunt. In ea quoque erat & Thomas Morus, Linacrus, Lupſetus, & Eraſmus, qui in proverbio, Stultior Morycho, μορύξαι transfert Moryxæ, non moruxai; etſi de pronunciatione multa diſputaverat,

quæ gloriæ ſtudio potius, quam uſus gratia ſe ſcripſiſſe, ex hiis & aliis locis ſcire licet diligenter obſervanti. Parœmium quoque dixit, non paroimium, & Hippoclydem non Hippocludem in proverbio, Non eſt curæ Hippoclydi; & gymnaſium non gumnaſium, & Sybaritica, Smyrna ac Syracuſæ, non Subaritica, Smurne & Suracuſai. Longum eſſet omnes iſtas vanitates percenſere, vix dies, aut etiam annus, ſufficeret. Sed quid de recentibus loquar, cùm vetuſti Græci & Latini conſueta religioſiſſimè obſervârunt. Galenus enim homo Græcus, & ſummi judicii ac doctrinæ vir, ut ſi quis alius ſui aut inſequentis temporis, lib. 1. operis ſui de Compoſitione medicamentorum, qua parte de modo lavandi lithargyron & alia metalla ſcribit, τῇ κραʃούσῃ συνηθείᾳ utendum cenſet. Etenim cum medici ſui temporis recentiores dicebant ἔμπλαʃρον, κέντριον, καὶ μηλώτριδα cum ῥ. in ultima, is eam ſcribendi & pronunciandi rationem ſequi maluit propter conſuetudinem jam tum receptam & uſitatam, quàm ἔμπλαʃον, κέντιον,

κέντιον, & μηλώτιδα dicere ſine ῥ. litera, etſi ab ἐμπλάττειν, κέντειν, μηλής τε καὶ ὠτὸς oriantur, in quibus ῥ. litera non eſt. Tanti erat apud illum conſuetudo. Docet etiam eo in libro, quem contra eos ſcripſit qui reprehendant ſolœciſmum facientes in ſermone, ipſos quoque Atticos ſecutos eſſe eam quæ in loquendo prævaluit conſuetudinem. Tradiderunt item, qui ante Galenum fuerunt, docti viri (ut ipſe refert) Atticam linguam variis modis corruptam atque a proprietate ſua vitiatam; ſecutos tamen eſſe eam quæ ſuo tempore inolevit conſuetudinem omnes, qui apud Græcos ullum præcellentis doctrinæ nomen conſecuti ſunt, idem refert. Cum ergo (inquit) in omnibus libris medicinalibus, ἔμπλαστρον cum ῥ. ſcriptum invenimus, & nos quoque, quòd invaluit conſuetudine, in loquendo & ſcribendo utendum cenſuimus. Hæc hactenus Galenus. Eretrienſibus quoque conſuetum eſt ῥ. pro σ. proferre, ut σκληρότηρ pro σκληρότης, (unde proverbium Eretrienſium ῥω.) Athenienſibus contra, ut θαρσεῖν pro θαῤῥεῖν, utrobi-

que ſi evertas uſum, notaberis, & derideberis. Nec Græci ſolum (ut dixi) ſed Latini quoquè hanc ſecuti ſunt conſuetudinem. Nam Ciceronis ætate invaluit ſtator, pro apparitore ſeu tabellario, ut ex epiſtola ejus ad Caninium atque Celſum ſcire licet; ex Planci quoque ad Ciceronem. At Ulpiani & Juſtiniani temporibus, ſtrator inovelit in eadem ſignificatione, addita r. litera in prima ſyllaba. Secuti tamen ſunt eorum temporum morem qui inſecuti ſunt Spartianus in Caracalla, & qui de jure ſcripſerunt præcipui. Itaque quemadmodum in vocibus atque literis ſi quid innovaveris, reprehenderis, niſi conſuetudo univerſalis patietur, ita in pronunciatione. Prætereo quemadmodum hodiè quantitates ſyllabarum, longas in breves, & breves in longas mutent, faciantque in muliere ſecundam longam, & tertiam brevem, cum tamen Ovidius Naſo in hoc verſu, Eminet & non eſt in muliere fides, ſecundam fecit brevem & tertiam longam. Et Virgilius, Nux, aſinus, mulier ſimili ſunt lege ligati, Hæc

tria nil rectè faciunt, ſi verbera ceſſent. Miror quo tandem erumpet hæc audacia, ne dicam temeritas. Si quis tamen diſſentit & ſuo more loqui & pronunciare cupiat, contemptis doctioribus & univerſali ſcriptorum conſenſu, ſua cuique ſtet voluntas & ſententia per me, ſuum cuique pulchrum ſit. Ego quidem nec ulterius, nec cum quoquam acrius hac de re contendere ſtudeo, nec bellum Grammaticale contra quenquam inſtruo & ſuſcipio (quod tam inane judico quàm eſt ipſa res inanis) ſed quid conveniat tantùm conſulo, quidque exteræ nationes in conſtantia & gravitate ſua permanentes de pronunciatione Græcæ & Latinæ linguæ ſentiant, bona fide explico. Non enim quæſitum hoc eſt, ſed oblatum ex occaſione peregrinationis noſtræ per Italiam & Germaniam, ut in lib. noſtro de libris propriis expoſuimus. Cum igitur neque ſeria res ſit hæc inepta pronunciatio, neque ulla cauſæ magnitudo, nulla neceſſitas, nulla commoditas rei atque gloriæ eò nos adegerit, neque plauſibilis exiſtat doctis atque gravibus, nec

recepta Græcis; quid attinet obſoletam eam revocare in uſum, ſi modò in uſu prius fuit, de quo nondum conſtat inter Grammaticos. Adhæc cum pronunciatio hæc nova ſit planè ruſtica, ut ex Adolpho Mercherio Brugenſi ſcire licet, aut affectata nimium, quod noſtris ſenſibus certè patet, nec tamen univerſalem conſenſum virorum gravium & doctorum admiſerit, id non arguit omnes ſic pronunciâſſe ſed aliquos, & cum ex hac occaſione magna in re literaria ſequatur perturbatio, omnibus omnia pro voluntate & arbitrio præter conſuetudinem commoventibus, quod in bene conſtituta rep. ferendum non fuit, malum præterea exemplum editur ad alia graviora. Alioqui non magni referret utro modo pronunciaretur, cum diſcrimen nullum eſt vitæ atque ſanguinis, nulla jactura virtutis & rei, ſed inanis ſpiritus & anhelitus, quæ res eſt nihili. In iſtis ſpiritibus non eſt cur quis velit ſeriò ſpiritum ſuum conſumere, tam eſt res exilis atque vana. Optandum igitur ut cum quieta jam ſint omnia, & conſenſu hominum uni-

verſali paucis tantùm exceptis confirmata vetus pronunciatio, perſequamur eam, curemuſque ne perturbetur. Nam ut innovemus nulla facit rei magnitudo ut, dixi. Omnes enim vident quam ſit levis & ridicula, neque ut tantos motus excitemus ulla fecit neceſſitas, ſed hominum quorundam vanitas, dum quivis ſtudeat novæ rei novus author haberi.

INDEX.

INDEX.

A.

ABDOMINIS muſculi octo tantum, *p.* 144
Achilles Boccius, 199
Acus, 110
Admonitor, 26
Aeterna ſitienda, 187
Agaſæus, 7, 30
Alfredi juſtitia in fures, 20
Ambroſius Calepinus, 144
Anas Indica, 89
Anas Turcica, 91
Anatis providentia, 13
Anaticularum fallaciæ, 14
Andr. Veſalius, 140. ejuſdem lapſus, 154. habitatio, 140
Anna Baconi docta, 158
Annales collegii Medicorum Londini, 142
Annales collegii Gonevilli, 142
Annotationes, 170
Anſer Baſſanus, 89
Anſer Brendinus, 87
Antimachus, 198
Antonius Muſa, *ibid.*
Aquaticus Canis, 12, 32
Aquarius, 21
Argumentum operis, 126
Aſpredo, 107
Aucupatorii, 10, 32
Aug. Gadaldinus, 140, 180

B.

BApt. Egnatius 199
Baſileæ impreſſa, 141
Beſſarion, 195
Bibliothecæ Italiæ 194
Bibliotheca S. Marci Venetiis, 195
Biblioth. S. Jo. & Pauli, 194
Biblioth. S. Antonii, 195
Biblioth. S. Jo. de viridario, 195
Biblioth. Ferrarienſis, 197
Biblioth. Bononienſis, 198
Biblioth. Urbinas, 196
Biblioth. Florentina, ſeu Laurentiana, 195
Biblioth. S. Mariæ, 198
Biblioth. Senenſis, 197
Blondus, 23

Boethus

INDEX.

Boethus Romanus 171
Bonasus, 75
Bracha, 6
Bucula cervina, seu Moschelaphos, 63

C.

CAlphurnius, Matth. Græcus, 228
Calvus, 177
Canis catenarius, 18
Canis tympanista, 26
Canis custos, 21
Canes externi, 27
Canis defensor, 22
Canis Laniarius, 21
Canis mandatarius, 21
Canis piscator, 14
Canis pastoralis, 16
Canis Getulus, 28, 41
Canis Sarcinarius, 22
Canis timidus quomodo a strenuo discernendus, 24
Canis ultor, 22
Canis index, 11
Canis excubitor, 21
Canis furax, 10
Carunculæ ad radicis musculorum rectorum non sunt musculi, 146
Castigationes, 160
Quorundam Galeni operum, 171
Cecilii Mildredæ, 159
Celsus castigatus, 163
Celsus interp. Hippocr. 165
Cercopithecus varius, 80
Cercus, 110
Ceruchus, 115
Cervus Palmatus, 58
Cervus albus, 103. ubi de urso albo & vulpe nigra legas obiter.
Chamæleon, 80
Christoferus Mounte, 159
Checus, 228
Chrysophrys, 112. ubi de lupo marino & concharum fœtu Margaritis, quas alio nomine conchos Latini vocant, 113
Claymondi scholia in Plinium, 159
Cocina familia docta, 158
Cælius Calcagninus, 197
Conradus Gesnerus, 126
Ejus eulogium, 181
Collegium Med. Lond, 142
Comment. in Anatomica Galeni, 139
Comparcum, 23
Cornarius, 177
Cosmi Medices Biblioth. 163
Ejus laus, *ibid.* bonitas, 196
Curtius, M. 163, 198

D.

DAma Plinii, 70
Defensor, 22
Degeneres canes, 25
Delicatus canis, 15, 33
Delphinus, 113. In quo de Phocæna, quam nostri Porpose nominant, & de Rubicone nobili Italiæ flumine scripsimus. De Phoca, quam nostri *sele* vocant,

vocant, explicate *ſee Veele* dicturi, hoc eſt Vitulum marinum, in libro noſtro de canibus Britannicis diximus, ubi de Cane piſcatore egimus. Eam a noſtris etiam *Dogge fiſhe*, id eſt Canem marinum appellari, eodem in loco ſcripſimus.
Denarius Romanus, 166
Diæta in morb. acut. 169
Diſpoſitio partium lib. Hipp. de anatomiâ, 178
Doctæ fœminæ, 158
Docti viri Italiæ, 198

E.

Edgarus Rex lupos ſuſtulit, 16
Edmundus Roffenſis Epiſcopus, 132
Elizabeth regina docta, 159
Ephemera Britannica, 168
Eſdras propheta, 198
Eulogium Geſneri, 181
Excubitor canis, 21
Externi canes, 27
Externa prælata, 28

F.

FAtum immobile, 182
Feſulæ, 196
Fibræ hepatis plures, 154
Florentia, 196
Florentina Bibliotheca, 163, 195
Fœminæ doctæ, 158
Forum Boarium Patavii, 163
Fotor, 15
Frammigamus, 128
Furum plena omnia, 20

G.

GAdaldinus, 140, 180
Galeni laus & defenſio, 150. anatom. in Italia, 141. non diviſit libros in capita, 172. operum caſtigatio, 194
Gallina Getula 93
Generoſi venatici, 2
Generoſi aucupatorii, 10
Generoſi delicati, 15
Georgius Owenus, 157
Geſneri Eulogium, 181
fælix mors, 187
Getulus canis, 28
Ginglymus, 154
Gloria æterna, 189
Gul. Frammigami obitus, laus, commentarii, 128

H.

HAbitatio Veſalii, 140
Haliartos, 85
Henrici VII. exemplum caſtigatæ rebellionis, 19
Henr. VIII. rex Angliæ, 171
Henr. Knollus, 156
Hepatis fibræ, 154
Hippelaphus, ſeu Equicervus, 65
Hippocratis anatomia, 173

INDEX.

Hippolytus Cananus, 198
Hiſpaniolus, 11
Hiſtoria urbis Nordovici, 133
Hiſtoria Cantabrigienſis, 193
Hortatio ad caſtigat. Galeni operum, 201

I.

ILex, 120
Inciſuræ rectorum muſculorum, 150 uſus, 152
Index canis, 11
Infortunia, 184
Ingulphus Croylandenſis hiſtoricus, 20
Inquiſitor, 12, 33
Inſcriptiones lib. falſæ, 160
Jo. Clemens Anglus, 142, 157, 159, 173
Jo. Bapt. Cananus, 198
Jo. Caii tyrocinia, 127. diſſectiones, 171
Jo. Gylpinus, 160
Iſlandicus canis, 27
Juventus iniqua, 152

K.

KYngeſton, ſeu Kingeſtoune, octo regum (Edwardi primi, Athelſtani, Edmundi, Aldredi, Edwini, Edgari, Edeldredi, Edwardi cognomento ferrei lateris) coronatione percelebre oppidum, 22

L.

LAcæna, 26
Laniarius, 21
Lazarus Bonamicus, 140, 165, 199
Leporarius, 8, 31
Richardi ſecundi, 8
Lepus tympaniſta, 12
Leverarius, 3
Levinarius, 9
Libri Celſi antiqui, 166
Liber de Comate, 170
Lib. de diæta in acutis, 169
Lib. de ptyſſana, 172
Lib. Hipp. de anatom. emendatus, 173
Lib. de canibus Britannicis, 181, 190
Lib. de rarior. animalium hiſtoria, 181
Lib. de ſymph. vocum Britannicarum, 31, 191
Lib. de libris Galeni non extantibus, 194
Lib. de thermis Britann. 193
Lib. Frammigam. 129
Lib. de ſanitate tuenda Galeni, 156
Lib. de parva ſphæra, 158
Lib. de humoribus, 158, 180
Lib. de antiquis urbibus, 193
Lib. de libris propriis, 194
Lib. de pronunc. Græcæ & Latinæ linguæ, 200
Libri legendi qua linguâ ſcripti, 202

Littu-

Littuanicus canis, 27
Londinenſis, 192
Lorarius, 9
Lucernarius, 23
Lunarius, 21
Lupi nulli in Britannia, 16
Lupos ex Anglia ſuſtulit Edgarus rex, 16
Lutra an piſcis? an canis piſcator, 14
Lyciſcus, 26
Lynx ſeu Leuncia, 50

M.

MAchellus, 180
Maculo, 106
Mandatarius, 21
Maria regina docta, 159
Margareta Clementis docta, 159
Margareta Roperi docta, 159
Matthæus Calphurnius Græcus, 228
Matthæus Cantuarienſis Archipiſcopus, 132
Matthæus Curtius, 163
Meleagris, 93
Melitæus, 15
Mendici valentes, 20
Methodus medendi, 133
Mildreda Cecilii docta, 159
Moloſſus, 16, 21
Mori familia docta, 158
Morinellus, 96
Morbi trecenti, 185
Mortis quies, 182
Mors Geſneri fælix, 187
Motus rectorum muſculorum, 147
Mounte Chryſtof. 159
Muſculorum ortus, 145
Muſculi recti duo tantum, 146. non oriuntur a pube, 147
Muſculi abdominis octo tantum, 144

N.

NIcolaus Bonaſciolus, 198
Nova (ut vocant) de religione perſuaſio quando cœpit, 128
Numerus fibrarum hepatis, 154
Numeri librorum falſi, 162

O.

Οἰκυρός, 21
Oribaſius & Paulus Galenum imitantur, 134
Oves paſtorem ſequentes, 17
Ovis Arabica Macrocercos, 70
Ovis Arabica Platycercos, 72
Ovidius Græcé ſcriptus, 197

P.

PAlmites, 119
Paſtoralis canis, 16
Paulus Ægineta Galeni ſequax, 134
Paulus Craſſus, 141
Pervigil canis, 21
Phoca, 15

INDEX.

Pica marina, 92
Piſana ſchola reſtituta per Coſmum Medices, 198
Piſum ſpontaneum, 120
Politianus, 166, 195
Polybius, 177
Pompilius Amuſeus, 199
Pontremulus, 198
Pronunciatio Græcæ & Latinæ linguæ, 199
Puphinus, 97. ubi de Corvorante ſeu Mergo.
Pupinus piſcis & avis, 14

R.

RAſarius, 180
Realdus Columbus, 163
Rebellionis exemplum caſtigatum, 19
Reſtitutio operum Galeni, 180
Robertus Sorbona, 219
Roma, 199
Rouillius, Gul. 156
Ruſtici canes, 16, 34

S.

SAcer Pſittacus, 101
Sagax, 3, 30
Saguina, 97
Salacones, 20
Saltator, 26, 35
Sanguinarius, 4
Sarcinarius, 22
Scapus granorum paradiſi, 119
Scholæ artiſtarum antiquæ Patavii, 136
Sciurus Getulus, 77
Scribonius caſtigatus, 167
Sena, 197
Senectus, 186
Spermologus, 100
Strepſiceros, 56
Syenneſis Cyprius. 177

T.

TErrarius, 4
Thermæ Britannicæ, 193
Tho. Linacrus, 142. fundavit collegium Medicorum Londini, *ibid.*
Tho. Aquinas Græcé, 197
Tho. Hatcherus, 125
Tho. Mori erudita familia, 158
Tho. Wendæus, 171
Tho. Maro, 171
Tho. Wolſæus, Cardinalis, 228
Thraſybulus, 158
Trachurus, 109
Tragelaphus, ſeu Hircocervus. 59
Tympaniſta, 36

U. V.

VAlentiniani Imp. in validos mendicos lex, 20
Venatici canes, 2
Vertagus, 9, 32
Verſator, 26, 35
Villaticus, 18
Urcanus, 26

INDEX.

Uncia, 42
Variata, 108
Varinus, 198
Vaticana bibliotheca, 196, 199
Verſiones, 127, 169
Virgilius Homerum ſequitur, 134
Vitæ humanæ calamitas, 183
Vita ratione aut morte regitur. 185
Vitæ brevitas, 186
Vitæ incommoda, 186
Vita moleſta, 186

W.

WArmyngton, R. 168

X.

XIphias, ſeu Gladius, 104

Z.

ZIbettum, 43

Lege Pag. 23. *l.* 19. *cavernæ.*

FINIS.

MVSEVM BRITAN NICVM

B L